


89.

8876

7. BIBLIOTHEK
SINAITISCHES MUSEUM
SANTINIENSKIS KLOSTER

of H. L. Colleg. S. B.
Lancaster



PAULINI CHELUCCI
A S. JOSEPHO
LUCENSIS

Cler. Reg. Scholarum Piarum & in Archigymnasio
Romanae Sapienae Publici Eloquentiae
Professoris

O R A T I O N E S

HABITAE IN EODEM ARCHIGYMNASIO.

Accessit ejusdem Vita & index rerum

JO: ERHARDO KAPPIO

A U C T O R E

EDITIO PRIMA VENETA

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

MDCCLXIV.

*Fry Francisz Pawancki Mowita Cntli
Pawntenti: Poloni ad In Petrow. 25*

8876

Z BIBLIOTEKI
SEMINARIJ
DIECEZANSKIEGO


Dr. med. et phil. Joh. Baptist. Sigmund
Prague, 1847

HABITUS ET MODUS VITAE
AUCTORIS

JOHANNES ERHARDUS KAPPLER

AD
EDITIO PRIMA

TOMUS PRIMUS



VENTIS

LEONARDUS SIMONIS GOSCH
Superintendentus Ratisbonae, et Præfatus
M. D. C. C. L. V.

Handwritten notes and signatures in cursive script, including the name 'Joh. Baptist. Sigmund'.

P R Æ F A T I O

EDITIONI LIPSIENSI PRÆMISSA.

Eloquentiæ Romanæ Amatoribus, & Cultoribus
S. P. D.

JO. ERHARDUS KAPPIUS.



Vginti quatuor, & quod excurrit,
 elapsi sunt anni, ex quo Viri di-
 sertissimi, Paulini a S. Josepho,
 Lucensis, Clerici Regularis Schola-
 rum Piarum, publici Eloquentiæ
 in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ Professo-
 ris, nunc ejusdem Ordinis Præpositi Generalis
 Reverendissimi, Orationes Lipsiensibus typis re-
 petendas curavi. Præfixi illis, præter Epistolam
 nuncupatoriam ad virum Perillustrem, atque
 Excellentissimum, Dominum Henricum a BU-
 NAU, tunc Serenissimi, ac Potentissimi Polo-
 niarum Regis, & Electoris Saxonæ, Frideri-
 ci Augusti, Summi Senatus Ecclesiastici Præ-
 sidem, nunc Sacri Romani Imperii Comitum
 Illustrissimum, vicesque administratoris in Prin-
 cipatu Isenacensi administrantem, Heroa in to-
 ga maximum, epistolam ad nobilissimos audito-
 res meos, atque Programma de Causis corruptæ
 Eloquentiæ Romanæ, quo professionem eloquen-

tiæ extraordinariam A. MDCCXXVII. auspiciatus eram, una cum indice rerum memorabiliam, subjunxi. Non sine singulari animi voluptate, perspexi, has orationes eloquentissimi Paulini, qualibuscumque accessionibus meis adueltas, partim a nostræ, partim a Catholice Religionis adscriptis benevole exceptas fuisse, postquam collectores Actorum eruditorum Lipsiensium Romanam editionem, loco postea excitando, satis superque commendauerant. Inter illos eminet Vir celeberrimus, litterarum humanarum, ac Divinarum scientissimus, Joannes Georgius Walchius, Professor Ienensis celeberrimus, qui in ultima Historiæ criticæ Latine linguæ editione C. XII. pag. 670. agens de lectione scriptorum recentiorum, sic ait; „ Paulinus a S. Josepho, Professor Eloquentiæ publicus in Arch. gymnasio Romanæ Sapientiæ, „ edidit nonnullas orationes Latinas separatim, quas deinde in summam redegit, ac „ conjunctim juris publici fecit. Novis usque elegantibus typis repetendas curavit 1728. „ eruditissimus Joannes Erhardus Kappius, atque doctissimum programma adjecit de causis „ corruptæ Eloquentiæ Romanæ, eo Consilio, „ ut cultoribus nitidæ latinitatis, ac Romanæ eloquentiæ pulchrum exemplum, quod ante „ oculos haberent, ac sedulo imitarentur, commendaret, cujus Consilii, & rectam init rationem: adparet enim in hisce orationibus magna eloquentiæ vis, elegans, & casta dictio, sententiarum splendor, & gravi-

„ tas, hisque virtutibus ad laudem oratorum
 „ veterum accedunt, suoque auctori merito in-
 „ signem inter illos, qui nostro ævo facunda
 „ sua eloquentia litteras ornant, locum vindic-
 „ cant. “ Hoc celeberrimi Walchii de Pauli-
 „ ni orationibus iudicium repetit nuper Romæ
 „ vir clarissimus Josephus Carafa, Clericus Re-
 „ gularis, in historia Gymnasii Romani, post-
 „ quam iudicium ante commemoratum, quod vi-
 „ ri docti, recensione editionis Romane harum
 „ orationum A. MDCCXXVII. actis Eruditorum
 „ illata, de iisdem tulerant, eidem præmise-
 „ rat: „ Dignas easdem utique fuisse, quæ pu-
 „ blicæ luci communicari, pluribusque legi pos-
 „ sent, illi fatebuntur, quibus intelligere da-
 „ tum est, quantum veræ laudis habeat oratio
 „ naturali sua florens pulchritudine, casta,
 „ gravis, concinna, & æquabiliter decurrens,
 „ & quæ a fucis, & frigore longissime ab-
 „ sit. “ Quod duplex celeberrimi Walchii,
 „ & Collectorum Actorum Eruditorum Lipsien-
 „ sium de Paulinianis orationibus iudicium,
 „ quemadmodum illis admodum est honorificum,
 „ & amatores Eloquentiæ Latine, ubicunque
 „ terrarum, ubi his litteris justum statuitur præ-
 „ tium ad lectionem illarum invitare potuit:
 „ ita repetita illi Lipsiensi, & a me curata e-
 „ ditioni hæc felicitas contigit, ut illa & ab
 „ Eloquentissimo earum auctore, Paulino a San-
 „ cto Josepho, æqui bonique consuleretur, &
 „ præcipue a Clericis Scholarum Piarum avide
 „ exciperetur, ac diligentissime legeretur. Et

qui ego majus hujus qualiscunque, in nova Paulinianarum Orationum editione paranda, laboris ferre potuissem præmium, quam illud, quod mihi nuper Reverendissimus Præpositus Generalis in Epistola ad virum Clarissimum, Quirinum a S. Augustino, Gymnasii Lipnicensis in Moravia Præfectum Studiorum, & Professore humaniorum, Romæ d. ix. Dec. An. MDCCCLII. exarata, tribuit dum me Virum optimum, ac de se optime meritum appellavit? Ne quid dicam de ejus institutionibus analyticis, & Arithmeticis, elegantibus libris mihi dono transmissis? Edidi etiam annis subsequentibus binas operum M. Antonii Mureti editiones, & utramque nova appendice adauxi, (a) Exemplum Jacobi Thomasi, eloquentiæ apud nos etiam quondam Professoris, & de Mureto etiam præclare meriti, licet non æquis passibus, secutus. Nunc autem dum alter Tomus orationum Reverendissimi Paulini, qui Romæ typis Zempelianis A. MDCCXLVIII. prodiit, superiore anno ad manus meas pervenit: Nolui amatores Paulinianæ Eloquentiæ, quorum multi & inter nostros, & inter Catholicos inveniuntur, his novis orationibus privare. Studio autem has orationes voco novas, ita ut a possessoribus prioris Tomi, & ab aliis qui eodem destituuntur, commode evolvi possint. Expetii autem mihi hunc alterum orationum Paulinianarum Tomum a Vi-

(a) A. 1741., & A. 1750.

ro Clarissimo, & plurimum Reverendo Patre Domino Quirino a S. Augustino supra laudato, amico meo officiosissimo, qui quo majore cultu Reverendissimum suum Præpositum Generalem mecum prosequitur: eo facilius precibus meis locum reliquit & Consilium, quod ceperam illas Lipsiensibus Typis iterum evulgandi, vehementer adprobavit. Et tulit certe hic Religiosus Clericorum Regularium Schol. Piarum ordo, a B. Josepho Calasancio, Sapientissimo viro, Superiore Sæculo fundatus, excellentissimos quosdam viros, de litteris humanioribus etiam excellenter promeritos. Quos autem in posterum non feret, si hi Clerici Regulares incomparabilem Paulinum suum, Principem, & ducem litterarum porro etiam sequantur, illumque ad imitandum ita sibi proponant, ut ejus judicio de litterarum studiis, ejus consiliis in illis excolendis, & Cicerone imitando, generatim ejus virtutibus se se conforment, ac vitia sciolorum, quæ tam pulchre in binis orationibus hic sunt delineata, semper avertentur? Ut vero nostri Germani, aliique viri docti hunc excellentissimum virum paulo propius cognoscant, placet nonnulla de Paulini vita, & scriptis huic præfationi intexere. Repetam autem præcipua ex viri Clarissimi, Josephi Carasæ, Clerici Regularis, libro de Gymnasio Romano, ejusque Professoribus, Romæ A. MDCCLI. Typis Antonii Fulgorici edito libr. II. pag. 324. illique notulas quasdam manu exaratas, & mecum communicatas, subii-

ciam . Ita vero Carafa inquit : „ Paulinus a
 „ S. Josepho, Lucensis, Clericus Regularis Schol.
 „ Piarum, ab an. MDCCXIII. (a) Cathe-
 „ dram Rhetoricæ & humaniorum litterarum
 „ in Gymnasio Romano obtinuit . Per annos
 „ viginti instituit Geometria, ceterisque ma-
 „ thematicis disciplinis, nobiles adolescentes,
 „ qui in Collegio Nazareno aluntur, ubi præ-
 „ fuit aliquamdiu (b) A. MDCCXLII. In
 „ Co-

(a) Cum hæc annotationes nullibi extant typis ex-
 scriptæ, lucem tamen vitæ Reverendissimi Paulini ac-
 cendant; operæ pretium me facturum esse confido, si il-
 las ex Scheda manu exarata in lucem evulgem :
 „ Paulinus Chelucci a S. Joseph, Lucæ, pervetusta ac
 „ libera Etruriæ Urbe natus die 25. Aprilis Æræ vul-
 „ garis A. 1682. nomen dedit Ordini Sch. Piar. an.
 „ 1699. Confesto ibidem studiorum Curriculo, consti-
 „ tutus fuit an. 1705. a suis Moderatoribus Rhetorices
 „ Magister in prima Sui Ordinis Domo S. Pantaleonis
 „ de Urbe. Postea Urbinum missus, ubi in nobilissimo
 „ ejusdem suæ Religionis Collegio studiorum Præfectu-
 „ ram exercuit. Inde post Romam evocatus, jussu Cle-
 „ mentis XI. P. M. ad instituendum in humanioribus
 „ litteris Alexandrum Albanum, ejusdem Pontificis
 „ fratris Filium, quod luculenter sane testatur Marius
 „ Guarnaccius in vitis, & rebus gestis Pontificum, &
 „ Cardinalium Romæ A. 1751. apud Venantium Mo-
 „ naldium, ubi de Alexandro Cardinali Albano verba
 „ faciens, sic ait : *Cultioribus disciplinis impensam*
 „ *navavit operam sub cura P. Paulini a S. Joseph Schol.*
 „ *Piar., magni nominis Oratoris.* Paulo post, an. scilicet
 „ 1713. an. agens 31. in Archigymnasio Romanæ
 „ Sapientiæ ad publicam Eloquentiæ Cathedram fuit
 „ evehctus.

(b) „ Collegio Nazareno per 12. an. præfuit, non
 „ fo-

„ Comitibus Generalibus sui ordinis adlectus est
 „ inter illos quatuor, qui una cum Superiore
 „ moderatore universum ordinem administrant,
 „ quos Assistentes Generales nuncupant; eodem-
 „ que munere fungi illum aliis sex annis co-
 „ mitia anni MDCCXLVIII. decreverunt (a)
 „ Plures in Gymnasio Orationes habuit, qua-
 „ rum undecim, unico volumine collectas, pu-
 „ blici juris fecit anno MDCCXXVII., eo-
 „ demque anno Lipsienses viri docti in suis
 „ eruditorum actis hocce iudicium de his ora-
 „ tionibus tulerunt. “ Tacemus hoc iudicium
 „ supra allatum cui hac Carasa subjungit „ Hæ
 „ orationes Sequenti anno Typis rursus editæ
 „ Lipsiæ, Cura Joannis Erhardi Kappii in Li-
 „ psiensi Gymnasio Eloquentiæ Professoris, uti
 „ testatur Joannes Georgius Walchius in histo-
 „ ria critica latinæ linguæ C. XII. „ Post hoc
 „ celeberrimi Walchii iudicium supra allatum Cl.
 „ Carasa pergit. „ Sed C. Budeus, inquit, in
 „ supplemento ad Isagogen Theologicam Tomo
 „ II. p. 21. harum Paulini Orationum multa cum
 „ lau-

„ solum; verum etiam mathematicis a se instauratis
 „ disciplinis, ceterorumque studiorum ratione, & mo-
 „ rum disciplina, ut nunc videre est, disposita, auxit,
 „ ornavitque. “

„ (a) „ An. deinde 1751. ad Episcopatum Alguia-
 „ riensem in Sardinia promotus P. Josepho Augustino
 „ Delbequio a S. Nicolao Generali sui Ordinis, ipse
 „ utpote antiquior Assistent, successit Vicarius Genera-
 „ lis: Sed summus Pontifex Benedictus XIV. ad di-
 „ gnitatem augendam, eum, per Breve Apostolicum
 „ Generalem nominari voluit. “

„ laude meminit. A. MDCCXLVIII. illarum pro-
 „ diit volumen secundum Benedicto XIV. P.O.M.
 „ consecratum, cujus benevolentia & patroci-
 „ nio, jampridem auctor usus est. “ Recenset
 deinde Cl. Carafa argumenta harum orationum,
 quæ quum in titulo sint jam indicata, hic re-
 petere nolumus. Tandem Cl. Carafa hoc vitæ
 Paulinianæ compendium ita concludit : „ Eo-
 „ dem Auctore ait, an. Domini MDCCXXXVI.
 „ editæ sunt : Institutiones Analyticæ, earumque
 „ usus in Geometria, cum appendice de Constru-
 „ ctione Problematum Solidorum, & an. MDCC-
 „ XLIII. Institutiones Arithmeticæ cum appen-
 „ dice Præxon Chronologicarum, quarum tan-
 „ ta fuit fortuna, ut necesse fuerit paulo post
 „ eas iterum prælo dare. Extant & ejus Car-
 „ mina quædam nomine Trinuri Naviani, Pa-
 „ storis Arcadis, nempe Egloga Cardinali
 „ Alexandro Albano, post gravem diuturnam-
 „ que oculorum ægritudinem in castro Gandul-
 „ phi, prope Albam, confirmandæ valetudinis
 „ causa commemoranti, & altera in nuptiis Ca-
 „ roli Albani, & Theresiæ Borromææ. “ (a)
 Hactenus Cl. Carafa in historia Gymnasi Ro-
 mani de Paulino. His adjiciam tamen nonnul-
 la, quæ aliunde rescivi, Paulinum esse virum
 vivacis ingenii, acerrimique judicii, & quam-
 quam sacris profanisque disciplinis excultus
 erat, maxime tamen studio matheseos, & La-
 tine eloquentiæ delectatum fuisse. Præfuisse il-

(a) Extant & nonnulla Carmina Italico Sermone concinnata in Collectionibus Arcadum.

illum annis plurimis, ita pergitur, maximeque cum laude Collegio Nazareno, a Cardinale Fonti fundato, quod amplissima villa suburbana auxit, vir justus & rectus semper tenacissimus.

Lubens hæc pauca, quæ mihi de Reverendissimo Paulino innotuerunt, cum lectoribus communicare volui omnibus bonis, uti spero, haud ingrata. Orationes ejus novas, hic iterum excussas, laudare nolo, iis, quæ in priore Tomo habentur similes, adeoque iisdem virtutibus supra recitatis commendabiles. Sive enim argumentorum de quibus agunt, præstantiam & utilitatem sive sententiarum, quibus referre sunt, gravitatem & splendorem, sive dictionis castitatem & nitorem, quo conspicuæ sunt, perpendam: his aliisque virtutibus ita sunt ornatae, ut dignissimas illas non minus, quam priores judicaverim, quæ hac nova editione in manus cultioris Europæ, Romanæ Eloquentiæ faultricis, eo facilius pervenire possent. Commendantur etiam illæ in approbationibus, quæ sequuntur, Romanis, haud immerito, quibus dedicationem Paulini ad Benedictum XIV. P. O. M., uti illa in Romana editione habetur, præmittendam esse censui.

Tu vero, Lector benevole, has novas orationes eadem benevolentia, qua priores excipe, lege illas, non quidem sine ea, qua illas legisti, Cautione, (a) Reverendissimo earum aucto-

(a) Cavit suis Cl. Kappius in Præf. ad Tom. I., quod orationes hæc a Romanæ Ecclesiæ addicto homine, eoque Italico scriptæ sint, qua nobis Cautione utendum non est.

*Etori felicem Comitiorum ordinis sui Genera-
 lium, proximo anno, Romæ instituendorum,
 successum & exitum, annosque longos & sene-
 ctutem jucundam mecum precare. Scribebam
 Lipsiæ die XII. Apr. A. R. G. MDCCLIII. (a)*

Emi-

(a) Cl. Kappius pro singulari sua humanitate atque
 amicitiæ officiis felicem comitiorum exitum precatus
 est, sed Paulinus noster ad beatas illas pacis, & tran-
 quillitatis sedes ante comitiorum dies ad diem xvi. Kal.
 Jan. An. 1754. transmigravit.

Eminentissimo Principi

ANNIBALI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
ALBANO CAMERARIO

Paulinus a S. Josepho Scholarum Piarum.

Deliberandum diu mihi non fuit, cui præcipue hoc Orationum volumen inscriberem, ANNIBAL Cardinalis amplissime. Humanitas illa singularis, qua olim ex his unam nomini tuo nuncupatam exceperas, fatis mihi certum dederat benevolentissimæ voluntatis tuæ testimonium. Nec dubitare poteram, te optimis artibus patrocínio unquam defuturum, quas a pueritia comites & in omni fortunæ gradu dignitatis tuæ administras habuisti. Videbam præterea, te CLEMENTIS XI. Pont. Max. immortalis memoriæ Principis patruí tui gloriam studiosius æmulari: & ad illum non modo Ecclesiasticæ vitæ integritate, doctrinæ studio, clementia, benignitate ceterisque virtutibus in diem propius accedere, sed etiam in promovendis literarum studiis ejus vestigiis diligenter insistere. Qua de re ut plurima & illustra dederis argumenta, illud tamen præcipua laude dignissimum puto, quod summo splendore ac regio prope sumptu typis divulgari curaveris elegantissimas ejus epistolas, quas Brevia dicunt: tum etiam Consistoriales Orationes & Homilias, quæ & veteris eloquentiæ majestatem & perfectioris vitæ doctrinam & instituta continent. Quamobrem tibi debet plurimum perpetuoque debebit literaria Respublica: cum id munificentia tua ad omnem literatorum posteritatem traduxerit, quod ætatis nostræ singulare fuerat beneficium. Quocirca amantissimo patruo majorem gratiam referre non poteras; nec quæ sempiternæ illius memoriæ nunc excitanda curas in Basilica Divi Petri splendidissimi mausolei saxa, diuturniorem ei famam tribuent: quandoquidem sunt quoque, ut Satyricus inquit, sua fata sepulchris.

Nul-

Nulla autem ætas, nulla temporum oblivio clarissima obruet ejus ingenii monumenta, nec vetustas ulla literatissimi Principis memoriam conficiet. Quid vero dicam de iis, quæ Urbini, per veteri literatorum hominum municipio, ad bonarum artium decus magnifice ac liberaliter a te fieri accepimus? Haud satis tibi fuerat perficiendis Collegii scholis opem contulisse liberalissimam, ut quæ patrum tui beneficentiæ inceptum, tibi uni deberent præclari operis complementum. Vetusissima quoque voluisti Academiæ dignitati consulere; & quemadmodum artes omnes, ut M. Tullius ait, societate quadam inter se continentur, ita per amplexum unius loci ambitu singula earum studia conjungere tibi placuit. Proinde magnificentioribus ædibus a fundamento excitatis, Gymnasium publicum cum Collegio Sch. Piar. ita connexum atque contiguum effecisti, ut plura in unum Collegia quasi coalescant, & unum amplissimæ Academiæ corpus constituent. Nec sane minus de literis es optime meritus ob typographiæ artem in eadem Urbe ad veterem splendorem restitutam, cujus nitore & elegantia quasi prægustatio sunt Rituale Romanum, Pontificale majoris Hebdomadæ & alia jam edita rei sacræ destinata volumina. Quæ quidem typorum præstantia quanto optimis studiis futura sit usui, tum etiam quanto tuæ bono ac splendori patriæ, cui benefaciendi finem nullum facis, nemo non videt. Hæc autem tua ad literas amplificandas ornandasque maxime propensa voluntas omnem mihi dubitandi locum eripuit, quin Orationes has meas, quæ fere omnes ad studia literarum pertinent, benigne suscipias tuoque patrocinio tuearis: cum præsertim in tuo prope dicam natæ atque educatæ sint solo, in Romano scilicet Archigymnasio, quod te studiorum suorum perpetuum vindicem ac patronum veneratur & colit. Quod si hoc meæ erga te observantiæ argumentum ea, qua præstas, incredibili benignitate exceperis, certe me & collegas meos ad tuas præclaras virtutes celebrandas magis magisque excitabis.

A D L E C T O R E M .

PRODIERANT jam in lucem aliquot ex his Orationibus, partim summis Romanis Pontificibus, partim Eminentissimis Cardinalibus singulæ singulis inscriptæ. Erga quos eadem ut perpetuo maneant officia, visum est æquum epistolas quoque ipsis præfigere, cum quibus primo editæ fuerant. De illis vero, quæ in parentalibus Leonis X. habitæ sunt, id præmoneo, quotannis idem argumentum apud nos vulgatissimum pertractari: proinde ut quid novi videatur afferri, illud esse aliqua novitatis specie convestiendum. Ceterum si cui orationes ejusmodi, aut reliquæ minus probentur, is per me licet, ne legat.

A D O L P H U S A S. G E O R G I O

Cler. Regul. Pauperum Matris Dei Schol. Piar.

P R E P O S I T U S G E N E R A L I S .

CUm librum, cui titulus: Orationes habitæ in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ a P. Paulino a S. Josepho nostræ Religionis Sacerdote Professo & in eodem Archigymnasio publico Eloquentiæ Professore compositum duo ex Nôstris, quibus commissum fuit, recognoverint & approbaverint, ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem &c. Datum Romæ in ædibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 22. Aprilis 1727.

Adolphus a S. Georgio Præpositus Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

Antoninus a S. Michaelæ Secret.

Reg. fol. 251.

I N D E X

O R A T I O N U M .

T O M I P R I M I .

- I. *De neglectu literarum Humaniorum & earum corruptela.* pag. 4-
- II. *De patrocinio bonarum artium.* 24
- III. *De laudibus Leonis X. in anniversariis ejus parentalibus.* 47
- IV. *De infelicitate Illiteratorum.* 72
- V. *De forensi latinitate expurganda.* 89
- VI. *De usu & necessitate Eloquentiæ in foro & hodiernis judiciis.* 118
- VII. *In optimis studiis lente festinandum.* 137
- VIII. *De expedita discendi ratione.* 153
- IX. *De laudibus Leonis X. in anniversariis ejus parentalibus.* 165
- X. *De ingeniorum delectu ad studia literarum habendo.* 176
- XI. *De laudibus Leonis X. in anniversariis ejus parentalibus.* 188

I
Amplissimo & Clarissimo Juveni

D. ALEXANDRO
A L B A N O

Summi Pontificis

CLEMENTIS XI.

FRATRIS FILIO,

EQUITI HIEROSOLYMITANO

Et Magno Prioratus Armeniæ Bajulivo

PAULINUS A S. JOSEPHO
SCHOLARUM PIARUM.

QUæ nuper, te audiente, in almo Urbis Archigymnasio de Humanioribus literis publice disserui; ea sunt omnino, quæ sæpe & graviter pro injuncti officii ratione tibi diligenter præ oculis habenda esse monueram. Ex quo enim contigit ad hæc mitioris literaturæ studia me tibi ducem præberi; duo fuere præsertim, quæ in animo penitus tuo, qua ratione, qua exemplis desigere magnopere studui: nimirum literarum censum citra sudorem parari non posse, neque optimas disciplinas consuevissent oscitantibus in ora delabi; sed imitandum nobis esse pertinacem indomitamque Majorum industriam, quorum eruditionem æmu-

Tom. I.

A

la-

2
lamur & gloriam: deinde, minime sperandum
esse in Humanioribus literis feliciter progredi,
nisi discendi labor cum optima studiorum ra-
tione conjungeretur. Ad quam licet primo per-
tinere videatur tum docendi methodus, quæ ex
Quintiliano neque operosa, neque fuis præce-
ptionibus constans esse debet, sed brevis & sim-
plex; tum solida præceptoris doctrina, longo-
que usu subacta; tamen nihil est, quod lite-
rario progressui plus conferat, quam veterum
ac politiorum auctorum lectio accurata & diu-
turna. Quemadmodum nihil perniciosius ma-
gisque cavendum, quam librorum præcorruptæ
que latinitatis frequentior usus & familia-
ritas. Quæ quidem omnia cum tibi aliisque
studiosis adolescentibus serio ac frequenter pro-
gressu non pœnitendo ingessissem: iccirco de-
mandata mihi nuper ex singulari Summi Pon-
tificis CLEMENTIS XI. Patru tui beneficentia,
tuaque potissimum opera, Eloquentiæ provincia
in Romano Lyceo, argumentum hoc ipso utilius,
quo publicis lectionibus præluderem, se mihi
usquam non obtulit, quodque magis ad rem
commode caderet. Illud vero quam pronis au-
ribus quantaque animi voluptate exciperent
quotquot aderant primæ eruditionis & digni-
tatis Viri, tu ipse testis, imo & præco huma-
nissimus. Hoc itaque mihi certe fuerat satis,
quin & supra vota; non tamen tibi, qui ut
quamprimum oratio ipsa publici juris fieret,
etiam atque etiam efflagitasti. In qua quidem
te humanitati tuæ diutius mihi reluctandum

non fuit, quod sperem eidem orationi maximum
 pondus accessurum esse ac nomen; si tu studio,
 industria, optimorumque librorum consuetudine
 atque usu, auspiciato compleveris, quam susti-
 nes non vulgarem literariam expectationem.
 De quo cum spem mihi certiozem præbeant non
 modo egregia indoles tua, & supra ætatem
 iudicii maturitas cum insigni morum gravitate
 conjuncta; sed etiam singularis illa animi pro-
 pensio tam erga literas, quam literatos, quos
 vehementer amas, libentissime excipis, eosque
 fovendos esse & palam dictitas, & qua po-
 tes, impense curas, votis tuis ultro, ac libens
 obtempere; orationemque publico iudicio com-
 mitto, tuo tamen nomini inscriptam; ut te
 ingenue & caste latinitalis non tam candida-
 tum, quam patronum & vindicem literaria
 Respublica futurum intelligat, & mecum offi-
 ciosa animi gratulatione veneretur.

DE NEGLECTU
LITERARUM HUMANIORUM
ET EARUM CORRUPTELA.

ORATIO I.

Habita VI. Nonas Maji, anno MDCCXIII.

NEMINEM vestrum ignorare arbitror, eam semper fuisse consuetudinem, ut quamprimum quispiam ad hanc amplissimam eloquentiæ sedem accederet, solenni quadam indicta concione, quicquid virium, aut artis in dicendo sibi comparasset, eo potissimum conferret, ut in humanioribus literis & eloquentia utilitatem maximam cum dignitate conjunctam esse contenderet. Quæ quidem consuetudo licet mihi reprehendenda minime videatur, ab hujusmodi tamen instituti ratione & ipsamet argumenti magnitudo & summa auditorum dignitas necessario me revocat, alioque abducit. Quid enim est, quod ad optimarum artium ornamentum tam ingeniose excogitari, aut diserte dici possit, quod longe infra earum amplitudinem non jaceat, vel ab eloquentissimis viris jampridem occupatum, splendideque ex hoc ipso loco pertractatum non fuerit, aut etiam multiplici vestræ eruditioni obscurum esse censeatur? Nemo profecto, nemo vestrum, aut eorum, qui adsunt, ignorat, quantum splendoris & gloriæ, quantum præsidii ac virium rebus

bus cum privatis tum publicis conferat literarum studium & eloquentia. Omnes probe intelligunt ab illis veluti e fonte promanare, non modo in cives & Rempublicam, verum etiam (quod certe momenti majoris est ac ponderis) in Religionem ipsam tot tantaque præsentissima commoda, ut de iisdem asserendum esse putaverim, quod præclare Tullius de amicitia, quod nempe si quis eas de medio tolleret, solem e cælo sustulisse videretur. Quocirca ne actum agere videar, aut crambem recoctam, ut ajunt, proponere; nihil de literarum dignitate, aut præstantia, nihil de necessitate eloquentiæ, vel usu in medium proferam: sed illud tantum totis industriæ viribus contendam inquirere, quid potissimum causæ sit, quod hac nostra tempestate, in tanta scilicet ceterarum omnium artium gloria scientiarumque incremento, humaniores literæ potius in dies collabi, & ad interitum vergere videantur; cum jam fere reperiatur nemo, qui nedum uberiori illa eruditionis facultate, qua majores nostros tantopere inclaruisse miramur, quodammodo sit ornatus; sed neque latini sermonis castitatem & elegantiam sibi omnino tribuere audeat. Arduum fortasse fuerit ac periculosa plenum alex argumentum; vobis tamen, Patres Amplissimi, & iis omnibus, qui humaniores literas studio, aut amore aliquo prosequuntur, ut puto, optandum maxime; ingenuis vero adolescentibus, qui literarum earundem studiis initiati sunt, opportunum illud omnino fore confido.

Mirari plerique solent, quoniam improbo lite-

rarum fato contigerit, quod tamen hoc ævo hominum ingenia nihilo, quam antiquitus, deteriora sint, imo sæpe & in multis præstantiora esse videantur; nemo tamen existat, qui cum sapientissimis illis literarum parentibus, qui olim flourerunt, de ingenio doctrinæque laude contendere audeat. Nonne, inquiunt, in gravioribus magisque arduis disciplinis solertiam veterum ingeniumque ætas nostra non æquavit modo, verum etiam longe lateque superavit? Recentiorum percurrere Philosophiam: quot doctrinæ solidioris in ea progressus! quot novæ hypotheses limatiori judicio elaboratæ, validoque rationis & experientia præsidio communitæ! quot naturæ reconditioris arcana, quorum causæ omnium opinione difficillimæ, imo humano ingenio prorsus imperviæ esse censebantur, instituta recens philosophandi ratio acute penetravit, clarissimeque detexit! Mathematicis vero disciplinis quantum splendoris atque amplitudinis ex singulis fere ætatibus, præsertim vero superiori seculo accessit? Profecto nulli veterum innotuerat Logarithmorum genesis, neque Algebrae speciosæ methodus, neque fluida Cælorum natura, aut tricorporea Saturni majestas, ac sexcenta alia rerum pulcherrimarum inventa, quibus ætas nostra se merito sapientiorum esse gloriatur. Præterea juniorum solertia cum rem medicam progressu non pœnitendo ampliaverit; cumque rei militaris scientia complures memoria nostra inclaruerint duces, qui veterum gloriam fortitudine, consilio, rebusque gestis facile superarunt; qua ratione contigerit esse nem-

minem, qui literarum fama & eruditionis laude antiquitati palmam præripere audeat; sed satis sibi gloriæ ducat, si multo sudore multisque vigiliis eo tandem pervenerit, ut ab antiquorum præstantia non longissime abesse videatur? Adeone deterior literarum conditio, ut in tanta ingeniorum ubertate ceterarumque scientiarum progressu, illæ propemodum destitutæ jaceant, ac ne passim quidem progrediantur? Ego sane fatalem hujusmodi literarum calamitatem duplici causæ potissimum tribuendam esse judico; & quod studio industriæque majorum longe impares sumus, & quod longissime ab optima studiorum ratione recessimus. Cui duplici literarum infortunio, ut tempestive, si fieri possit, occurratur; constitui hodierno die utrumque oratione persequi, & utrumque ea, qua potero, industria, studiosæ juventuti præcavere.

Et quidem ad ea semper majori animorum contentione incitatur, quæ pluris facimus, impensiusque æstimamus. Pulcherrimas res atque optimas nullo frequenter studio prosequimur, non quod illæ revera negligi dignæ sint, sed quod nobis negligendæ esse videantur. Neque enim tantum ab ipsa rerum pulchritudine ac dignitate, quantum ab earum opinione atque æstimatione movemur. Quamobrem cum literas Majores nostri in eo pretio ac dignitate semper habuerint, ut in ipsis maximum vitæ ornamentum, ac summum Reipublicæ bonum situm esse putarent, mirandum non est easdem tam singulari amore ardentique studio complecterentur. Ve-

hementius illi plane literariæ dignitatis famam deperibant, quam ambitiosissimus quisque fasces, consulatus, imperium : parandæque sibi eruditioni acrius insudabant, quam avari homines pecuniæ fortunisque augendis . Postremo magis illi de literis, quam nos de aris focisque tutandis, solliciti . Ex quo ingenti erga literas studio fieri solebat, ut omnibus aliis abdicatis ex animo curis in hanc unam incumberent, & in hanc veluti metam totos industriæ nervos intenderent. Quocirca incredibile nemini videatur, eos tantopere literarum amore succensos, ceteris sibi voluptatibus interdixisse, rei familiaris curam abjecisse, somno, cibo potuque frequentius abstinuisse, quo celerius ad earum gloriam assurgerent. Vulgare est ac tritum, summum illum dicendi magistrum Demosthenem, quo nemo unquam laboriosius, nemo per plura naturæ obstacula eloquentiæ verticem adiit, plus olei consumpsisse, quam vini, omnesque artifices antelucana industria superasse. Non ignorabant siquidem viri prudentissimi, labore minime vulgari venalia esse eruditionis ac literarum præmia . Non ignorabant ad literarum studia æque illud pertinere, quod de Philosophia omnium ore percrebuit, postulari videlicet totum hominem . Hinc Cicero, homo plane ad eloquentiam & eruditionem factus, cum diligentius causam requireret, cur in tantis eloquentiæ præmiis tantaque gloria, pauci tamen reperirentur, qui in ejus laude proficerent, opportune docuit, hanc esse præcipuam, quod ea studiorum genera omnem sibi animum omnemque sollicitudinem vindic-

dicarent. Omittendæ sunt, inquit, omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, jocus, convivium, sermo etiam pene omnium familiarum deserendus.

Quæ quidem ne cui ad amplificandam literarum famam magnifice enunciata esse videantur; cogitate mecum, Auditores, quot quantaque cælo, terra marique occurrant, quorum cognitio non levis ac perfunctoria, sed plena ac bene subacta ad eos necessario pertinet, qui in ejusmodi disciplinis laudem aliquam assequi meditantur. Quanta enim fabularum eruditio! Quanta Poetarum, aut carminum varietas! Quanta historiarum rerumque ab orbe condito gestarum series! Haud parum certe negotii faceffit tot auctorum plenam solidamque cognitionem consequi, & tam multiplex dicendi genus probe accurateque dignoscere posse, ac distinguere. Alii siquidem in dicendo robusti, ac nervosi: alii molliores & magis ad elegantiam proni. Hic festivitatis & leporis plenus; acrius ille probat, urgetque efficacius. In hoc phrasis terfa, facilis, non affectata, maximam spirans suavitatem. Sublimior in alio, succo plenior, totaque ad gravitatem plane senatoriam composita. Præterea cum omnes artes, ut ait præclare Tullius, quæ ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineantur; dubitari minime potest, quin nulla sit scientia, aut ars liberalis, cujus cognitione aliqua tinctus esse non oporteat, qui ad literarum & eruditionis gloriam contendit.

Si quis enim Dialecticam, Mathematicam, Ethicam, Politicam, aliasque Philosophiæ partes, ne longe quidem a vestibulo salutaverit, non modo de tot tantisque rebus, quarum notitia ab iis fontibus haurienda est, neque unum verbum facere audebit, sed neque plene intelligere poterit poetas ipsos, oratores, aut historicos in eo disciplinarum genere præclarissimos. Quis enim Plinium, Plutarchum, Quintilianum, aut Virgilium ipsum tam multa de Physica, multa de Geographia, ac de Astronomia multa subtiliter solideque pertractantes intelligat, qui nondum primas earundem scientiarum lines duxerit? Necessè erit profecto in evolvendis hujusmodi libris, tanquam ad scopulos passim hæreat, vel saltem ita balbutiat, ac si sphingem aliquam offendisset, aut monstra immania enuncianda essent.

Quæ quidem omnia cum sudorem industriamque exigant & maximam & diurnam, mirandum non est, veteres tam assiduo ac pertinaci labore in literario pulvere desudasse. Intelligebant illi plane nullam sapientiæ viam esse imperviam, si conatus accessisset ac labor, qui improbitate sua omnia vincit. Intelligebant in arduo montis domicilium habere musas; verum eo quoque industria volari posse, si aliter perveniri non possit. Cum itaque experientia didicissent magistra id, quod Græcus ille Metrocles sapienter dictitabat, nimirum res alias omnes emi posse pecunia, literas vero tempore; nihil erat omnino, quod tam accurate ac tam religiose servandum esse putarent, quam tempus. Hinc vel exiguum

quam diei particulam per otium desidiamque traducere, impendium omnium gravissimum censebatur. Ac proinde ne momentum sibi otiose unquam efflueret, quod potui, quod cibo, quod itineri tribui necesse erat, cum aliquo eruditionis studio conjunctum esse volebant. Quandoquidem ex Plutarcho accepimus, eam fuisse majorum consuetudinem, ut dum lectica iter agerent, aut recitantem aliquem audirent, aut nonnulla sibi ex lectione annotarent, aut etiam non raro aliis dictando, non tam tempus, ut poetæ loquantur, fallerent, quam traducerent fructuosissime. Hinc memoria proditum est, illum promum condum universæ eruditionis, quem nulla unquam filebit posteritas, C. Plinium severe rigideque nepotem suum objurgasse, quod illum, ommissa lectica, vidisset deambulantem. Poteras, inquit, has horas non perdere. Tanti scilicet putabant studiosissimi viri, vel minimi temporis habere rationem; illud totum periisse rati, ex quo sibi aliquis sapientiæ proventus non accessisset.

At nos, (pudet me, magnopere pudet projectam temporum nostrorum ignaviam cum indomita majorum diligentia conferre) nos, inquam, quibus, ut Seneca dolebat vehementer, tempore nihil est vilius, illud partim tuendæ accuratius, quam par est, valetudini, partim somno, partim conviviis, partim etiam muliercularum more, calamistris & speculo effundimus liberalissime. Ac deinde quod aulæ officiis, quod voluptatibus, quod ludis, quod avaritiæ, aut ambitioni superest tempus in literis & eruditione reponimus. Non est ergo cur

miremur, majoribus nostris tanto inferiores nos esse doctrina, qui tantopere infra ipsos fumus laborandi studio. Merito ab eorum gloria tam longe aberramus, quorum non imitamur industriam: quam revera imitandam sibi unusquisque proponeret, si quod erga literas studium in nobis reliquum superesset. Sed relanguit jam pridem, relanguit in plerisque hominum amor erga optimas disciplinas. Restinctus est omnino vetus ille ad honestas artes ardor animorum atque contentio. Inveteravit enim jam opinio quædam, non modo literis humanioribus perniciosa, verum etiam scientiarum omnium ordini maxime periculosa, in hoc studiorum genere nihil gloriæ, nihil divitiarum esse sperandum. Ac proinde non sine gravissimo animi dolore, quotidie videmus adolescentes egregia indole, ingenioque præstantes, vix delibatis Grammaticæ rudimentis, vix rudioribus subauditis ex Dialectica vocibus, statim cæco quodam impetu ad Hippocratis aphorismos, vel ad Justiniani codicem properare; illic tantum gloriæ, illic divitiarum certissimam spem propositam esse dictitantes. O præclara sciolorum consilia! O præposteram ætatis nostræ sapientiam! Ita ne pessime rebus suis consultum esse voluerunt Bembi, Sadoleti, Cortesii, Antoniani, qui omnes in Senatum Apostolicum cooptati fuere, alique pene innumeri strenui literarum cultores, ut ætatem omnem per summum laborem in iis studiis contererent, ex quibus nulla sibi utilitas, nulla amplitudo, aut dignitas oriretur? Sed omittamus infantissimos istos literarum æstimatores, quorum audaciam

ciam in iudicii severitatem vocare, neque locus, neque temporis angustia permittit. Contemnant modo, quæ citra infamiam ignorare non possunt. Deserant musarum castra, si placet; exeant, proficiscantur. Etenim non desunt nobis in hac Urbe, veteri optimarum artium domicilio, ex tota Italia, imo ex tota fere Europa adolescentes optimi, qui cum præstantia ingenii animorum ardore conjuncto, sapientiam impensissime amant, & in deliciis & amoribus habent honestissimas disciplinas. Non desunt, neque deerunt unquam viri clarissimi de literaria Republica optime meriti, qui literas per omnem ætatis gradum ita coluere, & colunt, ut ad eas sustentandas atque ornandas omnino nati esse videantur.

Quid tamen est, quod in tanta scholarum frequentia, in tanta ingeniorum vi studiorumque contentione, vix tamen unus, aut alter hodie reperiat, qui ea latini sermonis integritate atque elegantia valeat, quæ olim duobus circiter ab hinc seculis, post restitutas scilicet a Summorum Pontificum, & a Mediceæ Familiæ munificencia literas, tantopere in hac Urbe, imo per Italiam omnem effloruit? Tunc enim Angelus Politianus, tunc Hermolaus Barbarus, tunc Janus Parrhasius, Philippus Beroaldus, Romulus Amasæus, Paulus Jovius, aliique sexcenti floruerunt, qui latino sermone adeo perpoliti limatique fuere, ut ad Ciceronem ipsum, Cæsarem, Livium, Cornelium Nepotem ceterosque Romanæ linguæ scriptores castigatissimos, munditia styli & elegantia vixi fuerint perquam proxime accessisse. Nunc

vero, qui hanc laudem optimo sibi jure omnino tribuere possit, vix aliquem esse novimus. Quæ quidem luctuosa calamitas cuinam fato præcipue sit tribuenda, non una est eademque omnium opinio. Contendunt nonnulli principem causam esse methodum, docendique rationem, qua hodie in Grammaticæ scholis homines nostri utuntur: cum illa adeo perturbata, adeo obscura, & inanum præceptorum tricis undique implexa esse videatur, ut jam miseri adolescentes diutius Grammaticæ ambagibus, quam olim labyrintho Cretensi Theseus, immorari cogantur; ideoque meliores ætatis annos non in ipsa Romanæ linguæ vi ac puriori stylo, sed in negociosa canonum minutissimorum congerie, appendicibus, scholiis, observationibus traducant: quarum diuturno & importuno tinnitu haud raro adolescentium aures & ingenia ita lassantur, ut ad ceteras disciplinas malint crudi adhuc & elingues festinare, quam in ipsis grammaticorum subselliis turpiter confesescere. Alii vero emunctioris fortasse naris causam omnem hujusce damni esse distitant, magistrorum optimorum inopiam: nimirum hoc ævo scholarum quidem maximam esse frequentiam, magistros vero perquam paucissimos. Vulgarem jam esse consuetudinem Grammaticæ institutiones literasque humaniores ab iis doceri, qui aliis ipsi magistris revera indigerent; atque artes illas, quas olim in scholis tradere consueverant senes primæ auctoritatis profundæque eruditionis, qui exemplo suo adolescentulos ad honestarum artium studia cohortari & quodammodo

incitare videbantur, ab imperitis modo hominibus ac novis pertractari, qui ad Orbilii ferulam non semel essent remittendi.

Quas quidem causas quanquam ego & perspicuas & gravissimas esse non dubitem; adhuc tamen graviores aliam in medium asserere statui, ex qua supremum latini sermonis exitium ac pestem proficisci haud obscure intelligetis. Ad deturpandam enim latinæ linguæ castitatem nihil magis valere contendo, quam corruptæ depravatæque latinæ liberos frequenter evolvere. Horum profecto familiaritate, horum commercio, ut in sole ambulantes evenire solet, latina oratio paulatim immutari consuevit, ac decolorari. Hinc tam multos nævos, hinc tot maculas ac sermonis vitia contraximus. Cum enim omnis loquendi facultas necessario a nobis accipiendæ sit tum ex vocibus, tum ex ea dicendi forma, quam vel auribus, vel lectione percipimus; si legendi studio corruptas voces dicendique barbariem contraxeris, sermonem quoque impolitum ac semibarbarum conflare necesse erit. Quid vero defacatum ac purum ex lutulentis quorundam scriptorum libris haurire possis, in quibus præter latina aliquot vocabula, vel obsoleta & ab Evandri seculo repetita, vel recens in Latium temere immissa, nihil est omnino, quod latium ipsum redolere videatur? Et tamen tam multi hac nostra tempestate eo devenerunt amentia, ut optimis quibusque auctoribus valere iussis, semilatinos istos recentiores, fucos plenos, nullius succi ac sanguinis in deliciis & amoribus habeant,

libentius pervolvent, iisque folenne dicant sacramentum. Qua quidem re latino sermoni fatum perniciosius esse non video; præsertim vero si adolescentes, quorum mentibus mollioribus, quicquid ex lectione percipiunt, hæere solet tenacius, eo librorum lenocinio oblectari, atque iis diutius immorari consuescant. Quod enim in illis neque dictionis Tullianæ robur, neque Cæsaris, aut Livii perpoliram elocutionem, neque sententiarum vim, leporem & elegantiam, quæ passim in Plauto, Terentio, Sallustio aliisque compluribus nitidissimæ latinæ parentibus, minime reperirent, & propterea in iisdem evolvendis oleum revera & operam perderent; dolendum quidem esset vehementer, sed tamen aliqua ratione ferendum. At vero cum ex ea lectione, aut brevitatem hauriant sibyllinis foliis obscuriorem, aut ventosum ampullatumque dicendi genus, quod cælum ipsum audacia petit; cum tumultuariam ineptarum vocum congeriem, & desultoriam ubique orationem offendant; qua ratione fieri potest per Deum immortalem, ut tam pestiferam labem minime contrahant, neque in tam projecta latinæ linguæ corruptela periclitentur? Hinc profecto, hinc oritur affectata illa dicendi brevitatis nostrorum hominum, quæ in antithetis frigidisque argutiolis tota est: hinc languida illa omnino & elumbis oratio, quæ plus æquo sententiosa videri amat: hinc comptula & fucis pigmentisque ad nauseam usque colorata eloquentiæ facies: hinc denique stylus in plerisque tam barbarus, inconditus & exoticus, ut non tam Roma-

At

nam, quam Italicam dictionem foedissime oleat.

At fatalis hujusmodi librorum pestis ex eo mihi perniciosior esse videtur, quod homines eorum studio perinde ac Circaeo poculo imbuti, a saniori judicio tam longe abeant, ut limatissimos quosque scriptores parvipendant, ac purissimæ latinæ fucum omnino fastidiant. Quapropter ab ipsis Romanæ eloquentiæ princeps M. Tullius nimis verbosus nimæque loquentiæ reprehenditur: imus ac pedester Virgilius: Florus ficcus ac jejurus; asper multisque in locis censoria virgula notandus Quintilianus: In qua quidem judicandi ratione, aut mentis omnino impotes, aut iis ægris simillimi esse videntur, quibus sapore ex ægritudine corrupto, optimus quisque cibus fastidio solet esse ac stomacho. Desipit nimirum insanis fucosæ latinæ amatoribus nativa & in affectata latinæ linguæ simplicitas. Desipit æquabile dicendi genus, gravitatem spirans & elegantiam. Desipit demum quicquid ampullis & sermonis granditate non resonat. Ac proinde Charilos suos & Cordos semper manu & ore fovent, iis impensissime oblectantur; qua possunt, laudibus efferunt, & ubique prædicant. Quin etiam si quid virium ad scribendum, aut dicendum habeant, teterrimam illam sermonis corruptelam tam studiose minuteque affectant, ut nisi iisdem magistris suis amentiores, eorundem tamen amentiam haud parum feliciter æquasse videantur.

Quæ cum ita sint, Auditores, quis vestram satis superque non intelligit supremum latino ser-

moni excidium ex depravatæ latinitatis lectione potissimum derivari; ejusque furfuris libros tantopere perniciosos, ultra Sauromatas & glaciam Oceanum explodendos omnino esse, atque amandandos? Utinam ipsi eadem pœnarum severitate ex literaria Republica proscriberentur, qua expungi, exterminarique solent ex Catholico Orbe nequissima Novatorum volumina. Utinam iidem tam obvio ac facili publicæ lucis aditu intercluderentur. Nisi enim huic malo tandem tempestive occurratur, labentibus in diem & ad interitum vergentibus literis, si quæ adhuc ex latina lingua superest umbra, brevi ex hac Urbe profus totaque Italia evanescet.

Opem itaque vestram, Adolescentes optimi, implorat imminens literarum calamitas & ultimum Romanæ linguæ discrimen. Vos veteris earundem gloriæ vindices assertoresque ereptæ dignitatis estote. Vestrum sit studio ac labore efficere, ut exoticarum dictionum pulsa barbarie, suus Romanæ linguæ splendor & politioribus disciplinis dignitas restituatur. Quod quidem nullo negotio perficietis, si ineptissimis rejectis libris, industriam omnem studiumque in evolvendis antiquis incorruptæque latinitatis auctoribus conferatis. Hos diligenter ac sæpissime legite: hos perpetuo manibus atque oculis pervolute, & ad verbum, si fieri possit, ediscite. In horum vim, gravitatem & aculeos intueri maxime fructuosum. Horum sedula imitatione stylum elimatum, elegantia plenum atque omnino latinum brevi comparabitis. In quo quidem imitandum

vobis ob oculos ponite præclarissimum Urbis & Orbis exemplum, Pontificem Maximum Clementem XI., cuius summa latini sermonis integritas & eloquentia plane Romana non alios certe redolet fontes, nisi veteres ac politissimos Romanæ linguæ scriptores. Ex diuturna horum lectione maturaque imitatione conciliavit sibi sapientissimus Princeps venustum illud, grave ac sententiosum dicendi genus, quod in eo & nos tantopere demiramur, & quandiu eloquentiæ honestisque artibus honor erit ac nomen, posteritas omnis immortalitati commendabit. Ego vero pro hoc publico eloquentiæ munere, quod mihi nuper ex singulari sua erga me beneficentia idem sanctissimus Pater demandavit, nonnisi purissimum quemque latini sermonis auctorem publicis lectionibus interpretandum suscipiam; & quantum in me erit, operam dabo, ut ingenui Adolescentes, qui huc literarum humaniorum studio conveniunt, ex assidua veterum optimorum librorum familiaritate atque usu, latini sermonis integritatem ament, eamque sedulo imitari studeant, ut quantum fieri potest, veteri splendori Romana lingua restituatur.

Eminentissimo Principi

A N N I B A L E

S. R. E. Diacono Cardinali

A L B A N O

SUMMI PONTIFICIS

CLEMENTIS XI.

FRATRIS FILIO

PAULINUS A S. JOSEPHO

Scholarum Piarum.

Cogitanti mihi, PRINCEPS EMINENTISSIME, cujus sisterem patrocinio hanc, non tam orationem meam, quam causam bonarum artium honestissimam, occurrit statim Romanus Pontifex patruus tuus; cui cum multis aliis nominibus, tum illo potissimum a me debebatur, quod cum ipse per omnem etatem tam literatorum, quam literarum & fuerit, & sit amar- tissimus Pater, iccirco hujusmodi argumento vim auctoritatemque maximam conciliaffet. Sed quidam non inanis timor consilium vicit ac vo- tum meum. Timui, ne ingratus illi ac mole- stus fierem, dum maxime gratus & officiosus esse

esse contenderem. Cum enim de studiosis bonarum artium patronis tota res esset, ac nemini non esset exploratissimum, omnem illius vitam, fortunas ac dignitatem cum earundem bonarum artium studio ac tutela fuisse conjunctissimam, haud potui citra quandam communis existimationis labem de eodem in hac re omnino filere: quod tamen pro singulari sua invictaque modestia injucundum illi ac permolestum fore certo scio. Nam ipse, ut de M. Catone ait Salustius, cum bonus esse malit, quam videri, laudes omnes aversatur suas, usque omnem, qua potest, aditum intercludit. Verum cum diu cognitum mihi perspectumque esset, liberalium artium patrocinium ad Albanam domum avito quodam & hereditario jure pertinere, non tam difficile fore duxi alium quemquam ex ipsa domo humanissimum studiorum fautorem reperire, quam quis præ ceteris seligendus esset, statuere. Quandoquidem omnes, quotquot in ea sunt, viros doctos & eruditos complecti ac fovere impensissime solent, & ut de L. Lucullo legimus, literatorum familiaritate magnopere delectantur. At quamobrem te aliis omnibus ex tam præclara familia præferendum esse non putarem, Cardinalis amplissime, qui ut dignitate atque auctoritate, sic literis & sapientia longe ceteris antecellis? Te itaque unum oratio hæc mea, seu potius optimæ artes, quarum causa instituta est, te, inquam, unum implorant; tuoque faustissimo nomine ornari cupiunt ac propugnari. Et sane earum causam deserere

non potes, nisi velis & tuam deserere; eas
 quippe omnes ita in te uno complecteris, ut
 cum ipsarum fortuna, qualiscunque illa sit,
 necessario tibi conjunctio quædam ac societas in-
 tercedere videatur. Imo nisi id, quod revera
 est, dissimulare velis, splendidissimam illam,
 qua refulges, Purpuræ dignitatem disciplinarum
 earundem beneficio præcipue referre debes acce-
 ptam: cum nemini obscurum sit, eam fuisse
 tibi propositam, non, ut alias, ex Pontificis
 amore, aut ipsius meritis impertiendam, sed
 tuis. Quibus vero, nisi optimarum artium præ-
 sidio instructus, illam tibi judicii maturitatem
 & in rebus gerendis industriam comparasses,
 qua in levamen laborum ac Pontificiæ sollicitu-
 dinis partem opportune venire posses, atque in
 Ecclesia & in Evangelio laborare cum Clemen-
 te? Nemini ergo mirum esse videatur, si diem,
 in quo tibi tandem ex Orbis totius suffragiis
 summaque Urbis lætitia, constitutus fuit am-
 plissimus honor, singulari aliquo erga literas
 beneficio distinctum ac notatum maxime volue-
 ris. Cum enim tunc forte a transalpina Lega-
 tione Urbini commorareris, accepto vix Purpu-
 ræ delatæ nuncio, confestim te annuo censu
 Abbatie, quam Sanctæ Mariæ de Citria dicunt,
 ad annos aliquot abdicasti, ut ejusmodi libera-
 litatis subsidio ad nostrum Urbinatense Colle-
 gium, paterna jam tum recens Clementis XI.
 beneficentia excitatum, ampliores scholarum se-
 des accederent. Qua quidem re illud aperte re-
 statum esse voluisti, clarissimæ dignitatis ac-
 ces-

cessionem te liberalibus disciplinis acceptam maxime profiteri, ac tuæ propterea voluntatis erga illas tam illustrem dedisse prærogativam. In quo id primo commendatione dignum esse putaverim, quod scilicet partem de annuo censu tibi detrahere eo ipso tempore non dubitaveris, quo intelligebas ad illud te erectum esse fastigium, quod quo magis a privati hominis fortuna recedit, eo graviores in rem familiarem ac servitium domesticum sumptus exigat necesse est. Eodem accedit, quod ea ætate hoc ipsum feceris, qua nihil est, quod luculentiori Ecclesiæ patrimonio magis obstare posse videatur, quam ipsa cum Pontifice cognatio ac necessitudo. Iam enim Ecclesiastica bona, quæ ceteris quam latissime patent, iis, qui sanguine cum Pontifice conjuncti sunt, mediocritatis cujusdam lege ac terminis definiuntur. Quamobrem haud vulgare amoris tui indicium erga literarum studia tum plane exhibuisti, cum amplificandis Urbinatensis Collegii scholis aureorum aliquot millia liberalissime contulisti. Cujus quidem munificentie memorem animum non modo optimæ artes Collegii illius incolæ perpetuo habituræ sunt, sed universus quoque noster Scholarum Piarum Ordo hujusce liberalitatis memoriam tui nominis immortalitati commendabit. Ego interim, ut tibi pro his aliisque præclaris erga nos meritis, ejusdem Ordinis totius nomine gratias agerem, exiguum hoc pertenuis ingenii mei munus offerre statui. Quod tamen si ea, qua præditus es, humanitate ex-

reperis, id mihi beneficii cujusdam novi instar
erit; quo illud etiam efficies, ut majus ali-
quando gratæ erga te voluntatis meæ proferam
argumentum.

DE PATROCINIO
BONARUM ARTIUM
ORATIO II.

Habita xv. Kalen. Novembris, anno MDCCXIII.

SI quis vestrum fortasse putet, Patres amplif-
simi, me hodierno die ad dicendum iccirco
accessisse, ut intermissum jampridem ac diuturna
cessatione torpentem bonarum artium amorem in
adolescentium animis excitare eosque ad studio-
rum cursum alacrius instaurandum cohortari at-
que inflammare contenderem, is certe fallitur,
& ab instituti mei ratione longissime aberrat.
Satis enim intelligo, quæ ac quanta sit eorun-
dem erga optimas disciplinas alacritas, quanta in-
geniorum contentio ac doctrinæ cupiditas; cujus
adipiscendæ studio partim patriam, qua nihil so-
let esse jucundius, partim fratres, aut parentes
charissimos, partim ampla paternæ domus com-
moda, omnes profecto vacuæ dulcissimæque vitæ
otium fortiter devoverunt. Quid igitur a me
tam sapienter excogitari, aut pro scientiarum am-
plitudine tam diserte dici valeat, quod ipsos in
an-

anniversaria hac studiorum instauratione ad hujusmodi laudem magis incitare possit, & calcaria, ut ajunt, sponte currentibus addere? Id mecum cum ipse diu reputarem, illud tandem sese obtulit animo, me nihil ad rem opportunius, quodque magis bonarum artium dignitatem auget, posse suscipere, quam si perantiqua illa disciplinarum laudatione prætermissa, perniciosis quorundam hominum opinionibus occurrerem, quibus haud raro juvenes ab incepto studiorum cursu deduci solent, aut saltem maxime retardari. Percrebuit enim non modo Romæ, sed & apud exteras nationes, literatorum quorundam sermo, scientias hac nostra tempestate eam ob causam nequaquam, ut olim, pristina dignitate ac gloria vigere, quod nunc veteres illi optimarum artium Mecæneses minime reperiantur; ac proinde quod illæ plerunque intra mediocritatem consistant, quod multis in locis aut misere jaceant, aut in dies collabi videantur; id neque senescenti earundem artium ætati, neque effoetis ingeniorum viribus, sed rei literariæ faventium paucitati omnino esse tribuendum. Quæ quidem opinio cum non solum fautores ipsos literarum beneficentissimos, qui revera nunc sunt, haud mediocri injuria afficere, sed etiam in scientiarum existimationem infamiam quandam ac labem inducere videatur: rem totam diligentius examinare constitui, & quoquomodo oculis consilioque vestro subiicere; ut illud tandem de re gravissima judicium feratis, quod contumelia propugnatoribus bonarum artium illata, quod ingenuis
inu-

inusta disciplinis infamiae nota, quod denique sapientia vestra postulare videbitur. Illud itaque primo mature accurateque video mihi esse inquirendum, an revera patrocinii penuriae debeat æquo jure tribui vulgaris ea studiorum ratio doctrinaque mediocritas, quam in multis nostrorum hominum esse conspiciamus; cum tamen ipsi ea ingenii facultate sint præditi, ut primum eruditionis locum sibi vindicare potuissent. Deinde omnes industriae vires eo conferam, ut planum faciam, unumquemque literatorum posse, si velit, sibi studiisque suis amplam conciliare fortunam. Quod quidem argumentum cum sit hujusmodi, ut non modo ad amplificandam bonarum artium dignitatem accomodatum esse videatur, verum etiam commodum maximeque idoneum incitandis juvenum animis præmiorum spe ad eandem bonarum artium studia diligentius repetenda: profecto dubitari non potest, quin & illud clarissimis istis disciplinarum magistris summo opere probetur; tum etiam vobis futurum sit jucundissimum, amplissimi Patres, qui ad sustinendam Romani hujusce Archigymnasii existimationem & nos per omnia humanitatis officia profequi consuevistis, & quantum in vobis est, in id enixe incumbitis, ut in dies bonarum artium splendor augeatur.

Acerba quidem ac permolesta sæpè fuit eorum querela, qui in Mecænatum paucitatem mediocritatem bonarum artium omnino rejiciunt. Quorum inveterata opinio ne videatur, quasi indicta causa, a nobis velle damnari, eam vobis
quam

quam brevissime potero, in hoc ipso orationis aditu exponam. Quot sunt, dicuntur, hac nostra aetate præstantissimi ingenio viri, qui prope summum scientiarum verticem attigissent, si studiosum ac beneficum ducem hortatoremque sibi æqua obtulisset fortuna? Essent nimirum nostra quoque hac tempestate, qui cum ipso Romanæ eloquentiæ antesignano de doctrinæ principatu dicendique facultate contenderent. Neque hodie deessent nobis, qui summis illis Poetarum magistris Terentio, Virgilio & Horatio diem indicerent, eosque quasi verbo Prætoris de veteri gloriæ possessione deturbarent. Enim vero ubi nunc principes illi viri, bonarum artium firmamenta doctrinæque præsidium, qui ad alendos sustentandosque literarum cultores ab ipsis propemodum Gratiarum manibus facti esse videbantur? Innumeris quidem clarissimis ac veluti primæ magnitudinis luminibus literaria careret Respublica, nisi summo scientiarum bono superiores ætates patronos musarum munificentissimos attulissent. Nam neque Euripidem, aut Pindarum poetica, neque eloquentia Demosthenem, aut Socratem philosophia tantopere prædicaret, cum ii omnes tum propter infimum fortunæ gradum, tum propter rei familiaris angustiam ad artem potius aliquam factitandam, quam ad literarum otium nati esse viderentur. Memoria quippe proditum est Euripidis matrem vitam vendendis oleribus tolerasse; & quemadmodum tibicinis filium fuisse Pindarum, ita Socratem ex tenuissima obstetrice procreatum accepimus. Quid vero de Demosthe-

ne,

ne, qui fabrili genere ortus in obscura ferramentorum officina a parentibus susceptus fuit atque educatus? Quamobrem quæ divinis adeo ingeniis otia studiorumque rationes pertenuis fortunæ paternæ census denegaverat, iis cumulatissima ac plane regia donavit Mecenatum beneficentia. Etenim Macedoniæ Rex Archelaus Euripidem, Pindarum vero Hieron Syracusanus aluit summaque liberalitate complexus fuit; ac sicuti divinum quoddam tutelæ numen in præclarissimo Græcorum Imperatore Alcibiade invenit Socrates, ita singulos Reipublicæ Atheniensis cives Statorem quasi Jovem Demostheni fuisse non ignoramus.

Et quidem rei literariæ hostem importunum, feralem acerbissimumque, domesticam egestatem esse non putet, qui minime videt, quot præclara ingenia in dies conficiat exterminetque publicæ, aut privatæ inopiæ calamitas. Quis enim, cui res domi angustior sit, magnopere curet prioris latinitatis elegantias ex Plauto, vel Terentio seligere, aut Æquiponderantium leges cum Archimede, aut sectionum Conicarum acumina cum Apollonio contemplari, aut denique Democriti, seu Aristotelis opiniones inquirere? Acrior illi profecto inest sollicitudo de minuenda rei familiaris difficultate, quam de excolenda augendaque eruditione; studiumque ponet vehementius in nova aliqua victus sibi comparandi ratione, quam in perscrutando ex antiquitatum ruderibus, quænam fuerint Græcorum leges & instituta, quinam vetustissimi Urbis hujusce ritus, mores atque

que consuetudines. Quotidiana siquidem ac permolesta alendæ vitæ cura, præterquamquod meliorem diei partem de literaria contemplatione detrahit, illud etiam affert haud vulgaris incommodi, quod virum honesto loco natum ita commovet ac perturbat, ut deinceps optimarum artium studio imparem se omnino sentiat minimeque idoneum. Quod quidem malo didicit suo officina illa leporum atque elegantiarum Ovidius, quem promptiori ad carmina ingenio, quam unumquemque nostrum ad verba adeo fuisse legimus, ut vel ejus ore musæ, vel ipse musarum ore loqui putaretur. Is enim ubi primum amandatus in Pontum egestatem afflictæque domus præsensit calamitatem, se statim non tam Diis penatibus, fortunis, conjuge liberisque destitutum, quam ingenio ac divina illa mentis ubertate exhaustum confectumque ingemuit; cum ne meditatione quidem diurnoque studio ea consequi posset, quæ antea sponte sua ac propemodum ipso invito effluere videbantur. Quod sane admirationi tantum iis esse poterit, qui non intelligant, eam esse studiorum naturam, ut animum tibi ab omni perturbatione vacuum maximeque tranquillum postulent. Neque alia de causâ crediderim veteres in edito monte musis domicilium posuisse, quam quo clarius significarent, supra omnem curarum aleam illos esse oportere, qui optimis disciplinis solenne dixissent sacramentum. Quo pacto igitur studiis præstantioribus si operam navent, qui perpetuis curarum jactantur fluctibus, neque ullam habent, in quam se recipiant, quietis ac tranquillitatis
ita.

stationem? Qua ratione ea ipsa studia, quæ primis veluti lineamentis ac rudi penicillo leviter adumbraverant, aliquando absolvant atque perficiant, nisi possint horam exiguam per honestissimum otium traducere?

At vero dubia hic vestrum ora haud obscure illud indicare videntur: esse nimirum in hac Urbe totaque Italia innumeros bene viros, qui cum non minus præstantissimum a natura ingenium, quam opulentas a majoribus suis facultates otiumque acceperint, singularis tamen doctrinæ laude supra vulgus haudquaquam excellent. Præterea plura hodie in tot religiosis familiis, quam olim Athenis, scientiarum patere lycea, quæ hominibus ingenio pollentibus literarum otium solitudinemque præbeant abundantissime. Immerito igitur domesticæ difficultati, aut Mecænatum penuriæ vertitur, si plerique eorum, qui primos in literis ordines ducere potuissent, gregarios inter milites agant. Ac propterea quod illi mediocriter eruditi, quod semidocti in literatorum plebe numerentur, eorum profecto vitio dandum, quod ad alta nati humi reperere malint, & excellentius quicquam audere cum possint, minime curent. Quid? minime curent? Equidem curarent, opinor, si propositis præmiis, ac veluti sublato ad meliora sperandam signo, cohortarentur & ad studia sua diligentius expolienda, ac magis accurate cogitateque limanda inflammarentur. Quemadmodum enim Miltiadis Imperatoris trophæa Temistoclem ad præclara facinora e somno excitarunt; ita innumeros sere homines per hosce dies videremus,
qui

qui veterino excusso, pro aris focisque decertaturi
 in arenam summa literarum gloria descenderent.
 Verum si quis forte in ea opinione versetur,
 quod ad promovendam doctrinæ laudem satis super-
 que sit hominibus ingenii vim, quietem otium-
 que suppetere, præmiorumque spe nulla optimas
 disciplinas ali posse atque augeri; is plane studio-
 rum indolem doctrinæque naturam minime no-
 vit. Neque enim scientiarum iter tam planum,
 aut ita violis rosisque confutum esse quisquam pru-
 dens existimaverit, ut illud percurrentibus nulla
 reluctetur difficultas nullusque labor. Quocirca
 vos, Patres amplissimi, & quotquot hic adestis
 bonarum artium aut asseclæ, aut professores, te-
 stes appello. Vos quippe diuturno didicistis ex-
 perimento, quam negotiosam gravissimamque pro-
 vinciam is subeat, cui in liberali aliqua faculta-
 te principatus tenendi cupiditas innascitur. Præ-
 tereo siquidem omittendas esse, ut admonet di-
 ferte M. Tullius, voluptates omnes; & non
 modo ludum, jocum atque convivium, verum
 etiam sermonem ipsum omnium pene familiarium
 deferendum. Prætereo illa eadem delectationis
 studia relinquere oportere, quæ cum naturalem
 quandam cum ingenio cognationem atque affini-
 tatem habeant, si deserantur, maximum & in-
 credible sui creant desiderium. Mitto, inquam,
 hæc omnia tanquam nullius, aut perexigui puta-
 rentur esse momenti. At quis non intelligat,
 quot annos ad primas doctrinæ laudes consequen-
 das in literario pulvere vehementer enixeque sit
 desudandum? Quot labores molesti ac difficiles

ine-

ineundi? Quot dies noctesque permagno valetudinis incommodo summoque etiam nonnunquam vitæ discrimine libris rerumque contemplationi inhærendum? Nam quæ tam firma corporis valetudo, aut tantus animi vigor, quem pertinax studiorum contentio paulatim infringere non soleat atque omnino labefactare? Dubitari plane non potest, quin ex ipsa studiorum assiduitate importuni sæpe ac maxime periculosi procreentur morbi, qui aut vitæ curriculum intercipient, aut vires tam graviter conficiant, ut cum iisdem ad extremum usque spiritum necesse sit misere colluctari. Quod igitur non solum maximis laboribus, sed etiam dura corporis afflictatione summoque capitis periculo comparari debet, tametsi in eò honestas sit plurima, raro homines, præmio nullo proposito, persequuntur. Quinimo plerique ab ipso prorsus abhorrent, quod scilicet vitam, qua mortalibus nihil potest esse jucundius, ea vivendi consuetudine perditum iri intelligant.

Satis igitur opportune Romana Respublica tot tantisque honoribus amplissimisque præmiis rei militaris studium cumulavit, ut in illis summatim & quasi compendio recensendis Alexander ab Alexandro, Rosinus, Lipsius, Grævius aliique complures integra pene volumina confecerint. Novèrant quippe sapientissimi viri ad ejusmodi vitæ genus laboris maxime plenum ac periculi nisi homines præmiorum novitate ac magnitudine allicerentur, perpaucos fore, qui tam gravem ac periculosam vivendi rationem pro salute civium, aut sola gloriæ cupiditate susciperent. Cum itaque

literarum studia diuturnitate laborum militarem disciplinam facile superent; neque minus ex hac domestica & umbratili studiorum exercitatione ac pugna, quam ex hostium medio agmine sit capite periclitandum, mirum non est, si fere nemo reperiat, qui sola gloriae spe nulloque premio ductus tam difficilem ac plenam alex provinciam subeat. Fuit, fuit quondam ista in literaria Republica virtus, ut pro literis homines non modo bona, fortunas ac patriam, sed ipsam quoque vitam, si opus esset, constantissime offerrent; neque aliud praemium, quam doctrinae laudem, aut praecalam quampiam veritatis notitiam quaerent. At relanguit jampridem vetus ille studiorum ardor gloriaeque cupiditas, quam nisi tempestive Mecanatum beneficentia excitet atque inflammet, de literis actum erit omnino. Quapropter quod ipsae nunc apud exteranationes, ubi olim in sordibus situque jacerant, potissimum vigeant, quod mirum in modum efflorescant, id sane singularis munificentia praestitit potentissimorum Principum, qui vel inter diuturnos bellorum strepitus & quotidianas armorum sollicitudines optimas disciplinas ali ac foveri posse raro quodam liberalitatis exemplo demonstrarunt. Quantobrem nisi veterem Italiae gloriam cum exteris gentibus in contentionem literariae existimationis vocare iniquum esse videretur, aut me hominem in Italia natum eas ipsis doctrinae primas, quas illae sibi arrogantius fortasse tribuunt, ultro velle permittere; hic jam in medio proponerem, quousque apud illas regiae

beneficentiæ cumulus bonarum artium fortunam amplificaverit, & ad summum prope honoris gradum evexerit. Nullam quidem ex ingenuis artibus scientiarumque ordine esse videretis, quæ nova aliqua gloriæ accessione non prodiret ornatior longeque illustrior. Videretis Ecclesiasticam historiam antiquis expiatam anacronismis dubiisque locorum anfractibus expeditam ad exactissimas Chronologiæ leges ac Geographiæ normam optime resitutam. Videretis Theologiæ majestatem jam inanium quarundam quæstionum labe vindicatam ac Sanctorum Patrum præsidio ita communitam, ut deinceps bacchanti hostium audaciæ non sophistarum nugas, sed sanctissimorum hominum religionem, non levium syllogismorum ratiunculas, sed solidam Catholicæ veritatis doctrinam opponat. Quid vero Geometriam, quid Analyticam, Mechanicam, Astronomiam ceterasque Mathematicas disciplinas, quas omnes eo amplitudinis evectas esse prospiceretis, ut audeant jam ad veterem Græciæ gloriam provocare? Quid multijugem Romanarum Græcarumque antiquitatum eruditionem, Critices studium ac pene omnium notionem linguarum? Et quidem earundem omnium bonarum artium hanc unam esse vocem audiretis orationemque communem: Quod nos, vetustatis squalore posito, splendidiorem faciem vividiorumque consequutæ sumus, quod tot tantisque auctæ ornamentis ad maximum & vix optandum dignitatis fastigium pervenerimus; id non tam cedit in laudem doctissimorum hominum, qui nos multo labore multisque suis vigiliis

illis expolire & elegantius ornare conati sunt, quam singularis beneficentiæ nostrorum Principum, qui amplissima dona in literatorum sinu largiori manu effuderunt. Horum sane liberalitas clarissimos undique professores excivit, qui nos jacentes erigerent erectasque magnificentius exornarent. Horum beneficio acceptum referimus domicilium, quo nos extorres egentisque perbenigne receptæ sumus. Horum largitati opes, fortunas, honores: horum studio. Sed satis, jam satis. Hactenus enim, Auditores, non tam mea, quam eorum, qui bonarum artium mediocritatem Mecænatum crimini vertunt, vetus ac permolesta fuit oratio. Quæ cum meliorem partem temporis ejus, quod mihi definitum fuerat ad dicendum, surripuerit; video jam me iis premi angustiis, ut, ne diutius abuti videar patientia vestra, eorum, quæ initio dicenda mihi proposueram, necessario compendium faciam. Illud itaque primum contendo in hac Urbe, præcipua bonarum artium sede, hujuscemodi querimoniæ locum nequaquam posse patere. Si quis enim ea esset audacia, ut assereret, ullo unquam tempore in Urbe Roma defuisse certissimos munificentissimosque literarum fautores, hunc impudentiæ ac mendacii graviter coarguerent hæc ipsa saxa ac parietes, qui summam Leonis X. beneficentiæ erga optimas disciplinas testatam maxime faciunt; atque omni posteritatis memoriæ prædicant, Leonem X. ad perpetuum literarum ornamentum Romanum hoc Archigymnasium instaurasse, ac bonarum artium magistris perampla decrevisse stipendia. Deinde

etiam, reliquorum Summorum Pontificum serie ducta, nullo negotio demonstraretur, Romæ literas potius deesse potuisse, quam literis patrocinia. Quis enim, ut antiquiores ætates missas faciam, Gregorios, Urbanos, Alexandros, Clementes, Innocentios Pontifices Maximos memoria repetat, qui in illis præsidium ac firmissimum propugnaculum literas habuisse non videat? Quid vero nunc de Clemente XI. Pontifice sapientissimo ac bonarum omnium artium amantissimo? De quo in hac re præsertim tametsi, ut de Carthagine ait Sallustius, tacere satius sit, quam pauca dicere, nemini tamen vestrum obscurum esse arbitror, illum tam bene de optimis disciplinis jam esse meritum, ut quas aliorum Summorum Pontificum immortalitati statuas, signa ac monumenta in Capitolio ceterisque publicis in locis Senatus Populusque Romanus posuit; vel quod illi elegantiorum Urbi formam induxerint atque ampliorum, vel quod veteres obeliscos, aut marmoreas columnas ad eam ornandam erexerint, vel tandem quod uberrimis aliunde derivatis aquis, non tam fontes, quam flumina in Urbem commode invexerint; eæ omnes Clementi XI. cum iis nominibus, tum maxime literarum titulo, tanquam literarum earundem literatorumque parenti beneficentissimo excitandæ esse videantur. Etenim quænam opes, qui honores, qui magistratus, aut quæ dignitas in Urbe fuit, quam a studiosissimo literatorum Principe consequi non potuerit qualiscunque honestissimam bonarum artium commendationem cum integritate morum

conjunctam præferret, etiamsi homo exterus ac transalpinus hospes Romam advenisset? Quocirca illud satis sit dicere, quod Purpuram ipsam, maximum ac singulare Pontificiæ amplitudinis præmium, eloquentiæ ac doctrinæ venalem fuisse expositam vidimus.

Quæ cum ita sint, Auditores, superest jam, ut eo, quo altera orationis pars sponte sua vergeret videtur, animum intendatis, dum brevissime doceam quonam pacto unusquisque litteratorum sibimet studiorum suorum comparare possit vindicem ac patronum. Quod quidem statuo nemini fore difficile, si labore industriaque conetur doctrina ac literis inter ceteros eminere. Sit enim quispiam latini sermonis elegantia politus, aut singulari dicendi facultate ornatus, seu mathematico in pulvere egregie versatus, hunc procul dubio principes viri honore prosequi, hunc civitates publica quasi legatione accersere, huuc reges maximis præmiis ad se pertrahere summo studio ac voluntate certabunt. Quod sane argumentum non modo antiquioribus repetitis exemplis, verum etiam recentissimis rebus planum omnino facere possem, nisi aut doctissimorum hominum amicitiam nimis tribuere, aut eorum existimationi de industria blandiri velle viderer. At quos tandem quæso litteratorum præ ceteris majores nostri fovere summoque loco habere consueverunt, nisi eos tantum, qui ingenio doctrinaque magnopere excellerent? Platonem quidem tantam a Dionysio Syracusano gratiam iniisse compertum est, ut ei Syracusas advenienti non solum Rex idem obvi-

am ierit, sed etiam regali rheda, cujus Rex ipse moderabatur habenas, exceperit, ac triumphali plausu ingentique populi acclamatione in urbem advexerit. An Clinia, an Tymæo, aut Philolao aliisque sexcentis, qui per illud tempus in maxima frequentia erant philosophi, obvium se dedit Dionysius, curru recepit suo, & ad amplio- rem triumphi celebritatem idem ipse regio palu- damento ornatus aurigam egit? Tanta profecto honoris amplitudo nequaquam iis defertur, qui philosophantur in triviis, aut barba tenus philo- sopheri, ut ait M. Tullius, existimantur; sed illis sine controversia debetur, qui optimarum rerum cognitione atque exercitatione philosophi personam gravissime sustinent. Unus itaque Plato honori- ficentissime excipitur, unus opibus fortunisque a Syracusano Rege cumulatur, quod unus inter ce- teros præstantiori doctrina caput extollat, quod unus ingenii ac philosophiæ princeps, quod de- nique unus tantam sibi apud omnes conciliaverit auctoritatem, ut ipse Romanus orator cum Pla- tone errare, quam cum aliis philosophis vera sen- tire maluisset. At fortasse id temere factum, & ad Platonis fortunam plus habuit momenti libi- do Principis & arbitrium, quam sapientiæ singu- laris prærogativa. Ac pro inde quod quispiam, quemadmodum Plato, aliquem studiorum suorum vindicem habeat liberalissimum, id non tam do- ctrinæ conditioni, quam præclaro fortunæ benefi- cio tribuat necesse est. Ita ne verò? At Reipu- blicæ literariæ annales diligentius evolvant qui hoc modo ratiocinantur. Id unum ætatum omni-
um

um consensu atque auctoritate firmatum invenient, eos videlicet tantum gratia ac liberalitate Principum floruisse, qui non litus legere, sed in altum disciplinarum provehi minime debitarint. Heroicis enim illis bonarum artium temporibus, in quibus cum eadem insigniter vigerent, tanta quoque erat philosophorum poetarumque copia, ut sicuti exercitus in legiones & cohortes, ita illi in sectas ordinesque dividerentur, eos duntaxat apud primarios viros omni humanitatis officio receptos fuisse accepimus, qui earundem bonarum artium haberentur instar imperatorum. Patebat quidem Cæsaris Augusti domus clarissimis poetarum ducibus Publ. Virgilio & Q. Horatio, quam tamen Chærilis & Cluvienis aliisque ejus notæ versificatoribus patuisse non legimus. Cum illis scilicet, quod & acumine ingenii & elegantia styli ceteris palmam eripuissent, humanissimi Principis familiaritas omnis erat atque conjunctio. eorum aspectu, sermone atque consuetudine frequentissime recreabatur.

At piget me tandiu exemplis hujusmodi esse immoratum, qui rem ipsam statim oculis subjicere quodammodo potuissem. Quid quæso est, Auditores, quod ex popularibus hisce artibus ea ipsa, quæ aliis fructus insignes contulit, eadem aliis decoquere soleat nulloque esse adjumento? Nam quotidie videmus nonnullos cælandi, aut pingendi studio haud mediocres sibi fortunas comparasse, quibus artibus alii vix tantum pecuniæ trahant, quantum tolerandæ quoquomodo vitæ sit satis. Nonne discrimen hoc ex eo potissimum ducitur, quod

cum illi præclari castigatique opifices, hi contra mediocriter in ea facultate versati esse existimantur, si quod affabre accurateque elaborandum sit opus, rejiciuntur hi, invitantur illi, ac perhonorifica mercede proposita conducuntur? Studiosos itaque sui ac pene dixerim Mecænates habent cælandi, aut pingendi artes, modo eæ vulgares nequaquam esse censeantur. Utilitatis afferunt plurimum, non inficior; sed iis tamen, qui ingenio industriaque ad earundem artium principes propius accesserint. Præterea florentissimæ illæ duæ artes, Medicina ac Jurisprudencia, in quibus præ ceteris omnibus, ut sermo communis invaluit, opes maximas atque honores fortuna collocasse creditur, an tales sunt, ut earum præsidio homines honori opibusque feliciter velificentur tametsi iisdem leviter tincti nullum sibi nomen existimationemque confecerint? Fautores certe non habent plurimos, qui ægrotos medicaminibus, aut qui legum foraulis jugulant patrimonia. Verum qui in istiusmodi facultatibus præstantissimi recensentur, eos gratiam inire auctoritatemque apud optimates sibi conciliare videmus, eosque ad amplificandas fortunæ copias, aut ad honores maximos consequendos viam sibi munire expeditissimam. In quo quidem orationi meæ firmiorem, quam opus sit, fidem complures, quos hic video esse, viri clarissimi exemplo suo satis commode faciunt. Quemadmodum igitur quodejus generis artes nonnullis fructuosæ non sint, imo potius jacentes ac steriles, impudentia singularis esset id non tam professorum mediocritati, quam earundem

ar-

artium vitio, aut iniquissimæ temporum conditioni tribuere; ita fere intolerabilis videtur esse eorum audacia, qui ex levi quadam literarum umbra cum neque opes, neque fortunas trahere poterint, literas ipsas jacere clamitant, nullosque per hosce dies inveniri bonarum artium patronos, nulla superesse studiorum præmia. At desinant tandem aliquando desinant per Deum immortalem tam impudenter ac stulte conqueri. Ipsi profecto jacent, non artes. Iphis utpote feriatis remissisque ingeniis desunt semperque deerunt patrocinia, nunquam vero strenuis literarum cultoribus. Præmia nulla extant; sed ipsis merhecule nulla, qui oscitantes ea consequi neque labore, neque industria conantur. Excellendum est itaque præstantiori disciplinarum studio, excellendum: tum vero deesse non poterunt præmia, neque fautores munificentissimi; cum minime defuerint in hac urbe, ut recentiores consulto præteream, Francisco Philipho, Pomponio Læto, Jano Parrasio, M. Antonio Mureto sexcentisque aliis primariæ eruditionis viris, qui egregia quapiam doctrinæ laude floruisse; cum memoriæ traditum sit eundem Muretum Romæ ad politioris literaturæ & eloquentiæ ornamentum annuo fuisse mille aureorum stipendio Gregorii XIII. liberalitate donatum. Non defuerunt, inquam, non solum ingentes opes, sed etiam amplissimæ dignitatis splendor Petro Bembo, Jacobo Sadoletto, Guilielmo Sirleto, Cæsari Baronio, Roberto Bellarmino aliisque quamplurimis; qui quandoquidem eruditionis ac doctrinæ præstantia se supra ceteros extulissent, Summorum Pon-

ti-

tificum providentia, sedula semper meritorum indagatrix, fecit, ut dignitatis quoque amplitudine ac purpura supra ceteros eminent.

Quæ cum ita se habeant, vos jam probe intelligitis, Adolescentes optimi, quousque vestra du-cenda sint studia, quo ætatis, quo industriæ nervos intendere oporteat, ut studiorum fructus feratis locupletissimos atque pulcherrimos. Non vulgaris doctrinæ ratio, non popularis quædam mediocritas, sed summus scientiarum apex fortiter est attentandus, si optimas disciplinas maximo vobis usui & ornamento esse velitis. Quamobrem ne patiamini ab suscepto studiorum cursu deduci, aut saltem industriam vestram retardari ex perniciosis eorum sermonibus, qui vulgato quasi proverbio dictitant, jam bonarum artium studia profligata esse ac prope deposita, quod neque sint hac nostra ætate literarum præsidia, neque ulla ut olim proposita musis præmia. Contemnite, obsecro, ac pro nihilo ducite querelas ejusmodi inanesque clamores. Sunt equidem Romæ, sunt maxima literarum præmia, sunt studiorum fautores propugnatoresque gravissimi, neque defuerunt unquam: & si antea defuissent, certe Clemente XI. Pont. Max. non deerunt: qui cum sit & omni doctrinæ genere cumulativissimus, & tot jam tantisque argumentis voluntatem suam in bonarum artium studia significaverit, omnem vobis profecto dubitandi locum eripuit, quin Romæ adopes, ad magistratus, ad imperia, ad purpuram etiam ipsam innocentia vitæ ac doctrinæ nobilitate assequendam aditus universis pateat amplissimus. Cum igitur
tam

tam liberum unicuique vestrum sit beneficentissimi Principis animum promereri, quam literis & eruditione excellere; jam plane cognoscitis Mecæ- nates vobis minime defuturos, nisi per otium inertiamque vobis vos ipsi defueritis. Quod quidem eo gravius esset reprehendendum, quo major est horum clarissimorum diligentia professorum quorum labores in hoc Romano lyceo utilitati vestræ serviunt, quorum conatus omnes, vigiliæ ac studia ad vos ornandos erudiendosque maxime referuntur. Vestrum igitur sit pari animi cura ac diligentia efficere, ut eorundem labori industriaeque maximum in vobis uberrimusque fructus respondeat; atque hinc ea consequi possitis dignissima præmia, quæ vobis non minus Romani Pontificis beneficentia, quam doctrinæ amplitudo ac præstantia pollicentur.

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

Paulinus a S. Josepho Scholarum Piarum.

TANTUM abest, ut conquirenda sint causæ, cur tuo potissimum nomini, CLEMENS Pontifex Maxime, hanc Orationem inscribam, ut potius sive argumenti magnitudo, sive loci, ubi habita est, dignitas spectetur, ea jure suo

-uuuo

omnino ad te pertinere videatur. Beneficentiam quippe illam & amorem erga bonarum artium studia plane singularem, quem in Leone X. suscepimus & admirati sumus, ecquis in te pariter maximum & flagrantissimum esse non videat? Neminem profecto latet optimas disciplinas per omnem tibi aetatem usque eo a prima pueritia in deliciis fuisse & amoribus, ut deinde in omni fortunæ gradu iis magis semper quam tibi met vixisse videaris. Itaque non est, cur miremur, quod hoc ipsum Romanum Archigymnasium, perantiquum bonarum artium domicilium, tam sapienter splendideque a Leone X. instauratum, a te eximie diligi tibi que præcipue cordis esse intelligimus. Quinetiam, si per summam turbulentissimorum temporum difficultatem id licuerit, aliquando fore speramus, ut quam olim in amplissimo hoc loco sub Leone consecutæ fuerunt optimæ artes celebritatem, ea, te Pontifice, deesse nullo modo possit. Quod plane efficies, si ea ipsa, quæ ad sempiternam Academiæ hujus dignitatem præsidiumque Leo sapientissime decrevit, quæque jam nonnihil temporum vicissitudo immutavit, pristino juri restituas. Hinc enim erit, ut quæ per Orbem universum latissime Archigymnasii hujus pervagata est fama, sublucratissimo Principe maxime vigeat; neque sit, cur Leonis ætati, quæ aurea literarum ætas fuisse dicitur, nostris hisce temporibus quisquam invideat. Quod profecto si semel eveniat, quibus tum laudibus nomen tuum ad cælum efferemus?

Quas

Quas immortales gratias hæc tibi nostra Aca-
 demia publica auctoritate quotannis persolven-
 das statuet? Sed ut ut hæc sint, ego is plane
 non sum, qui ventura tempora recentioresque
 causas consecrari debeam, propter quas me ti-
 bi quam maxime obstrictum esse profitear. Tot
 jam præclara in me meritorum tuorum suppe-
 tunt argumenta, ut ingratus omnino essem at-
 que immemor, nisi ea, quæ acceperim, quanti-
 a me facienda sint, satis agnoscerem, idque ali-
 qua saltem significatione testarer. Quorum vero
 præcipue beneficiorum nomine? Eorumne, qui-
 bus nostrum Scholarum Piarum Ordinem tam
 liberaliter cumulasti, tot præsertim Seminariis,
 aut Collegiis, Albæ, Cortonæ, Rheate, Amal-
 phi, Urbini beneficentia tua insigniter ampli-
 ficatum? Magna quidem sunt hæc ac sane di-
 gna, ut noster ipse Scholarum Piarum Ordo
 universus te parentem beneficentissimum perpe-
 tuo & agnoscat & colat & veneretur. Cum
 tamen mihi cum nostratibus omnibus communia
 ea sint, non tam privati unius hominis, quam
 commune omnium exigunt grati animi monu-
 mentum. An igitur beneficii ejus, quod pro-
 prium est, nomine gratias agam, quod videli-
 cet perhonorificam mihi eloquentiæ in hoc Ro-
 mano Archigymnasio provinciam dederis, ac me
 nominis prope nullius hominem ad summam
 hujusce loci celebritatem evexeris? Id certe,
 sive ingenii mei mediocritas, sive loci hujus,
 qui eloquentissimo cuique semper patuit, ampli-
 tudo spectetur, majus est, quam tibi unquam

pares pro beneficio gratias agere possim. Longe
 tamen majus est aliquid, quod splendore suo
 cetera obruit, & quod mihi maximi ac præci-
 pui beneficii loco semper erit, diligentia scili-
 cet industriaeque meae demandasse ornatissimum
 & ad virtutis indolem plane factum juvenem
 fratris tui filium ALEXANDRUM, ut in bona-
 rum artium studio ei quasi manu facem præ-
 ferrem, & commostrarem viam, qua per sum-
 ma quæque virtutis majorum suorum vestigiis
 insisteret. Id certe tanti apud me est, ut cete-
 ris omnibus, quæcunque illa sint, beneficiis tuis
 silentio prætermittis, hoc unum potissimum esse
 censeam, atque hoc tantum uno me gratum ac
 memorem esse maxime cupiam. Etenim cum
 non deessent homines ingenii & eruditionis fa-
 ma præstantes, qui ad hoc munus obeundum
 impense studium atque operam profitebantur
 suam, ea tamen fuit tua humanitas, ut me mi-
 litem quasi gregarium iis præferri velles, qui
 primos in literis ordines ducere videbantur.
 Quamvis autem non ita me ignorem, ut id
 mihi tribuam, & non tuæ potius humanitati,
 quam tenuitati meae acceptum ferendum esse
 videam; malui tamen tam præclari commemo-
 ratione beneficii modestiam meam in suspicio-
 nem vocari, quam ingrati animi notam mihi
 ejus silentio inuri. Quia vero id satis esse nul-
 lo modo potest, ut aliqua saltem ex parte hu-
 jusmodi beneficentiæ respondeam, si nulla alia
 re, at certe industria ac diligentia operam da-
 bo, ut studiorum cursum multa jam cum lau-
 de

de susceptum clarissimus idem Juvenis ita aliquando absolvat perficiaturque, ut tua de me iudicia sustineat; atque ipse perpetuum extet tibi memoris gratique animi mei monumentum.

DE LAUDIBUS LEONIS X.

In anniversariis ejus parentalibus

ORATIO III.

Habita VII. Idus Februarii anno MDCCXIV.

SI ullo unquam tempore Urbem hanc ingenti luctu ac mœrore propemodum incredibili concidisse putaverim, ut plangor in tectis, in templis ætatum omnium concursus, silentium in curia, vastitas & solitudo in foro, ubique mœstissima rerum facies obversaretur; tunc, opinor, fuit, cum importunus & universo populo Romano gravissimus rumor percrebuit, Leonem X. Pontificem Optimum Maximum bonorum omnium votis ac publicæ incolumitati repente immatureque fuisse præreptum. O diem bonis omnibus funestissimum! (is, puto, unus omnium erat gemitus ac comploratio) O acerbissimam & vix plane ferendam calamitatem! O nos miserimos, quî pastorem vigilantissimum, qui liberalissimum Principem, qui parentem optimum amisimus, qualem neque nostra, aut parentum ætas tulit, neque literarum monumentis ulla unquam effinxit antiquitas. Quid enim excogitari poterat in terris

ris tanti Principis majestate augustius, quid magnificentius, quid ad gloriam laudemque optabilius? Quanquam non ætas, non sexus, non ordo ullus est, qui lacrymas possit ac doloris impetum coercere, frustra tamen immensum publici parentis desiderium atque enormis jacturæ casum doloris magnitudine exæquari posse speramus, cum hoc uno in funere non modo Europæ lumen ingens, sed universæ Christianæ Republicæ splendor quam maximus fuerit extinctus. At vero in tanto tum privato tum publico populi Romani luctu qualis, aut quanta esset lamentatio fletusque bonarum artium, cogitatione potius percipi potest, quam satis verbis & oratione comprehendi. Quemadmodum enim liberalissimi Pontificis beneficentia etsi erga omnes maxima, in optimas tamen disciplinas singularis prope fuerat atque incredibilis; ita nihil illis contingere potuisset acerbius ac majori lacrymarum contentione descendendum, quam inopinato importuneque eodem ipso Principe orbari, quem unum sibi ab interitu vindicandis revocandisque ad pristinum gloriæ fastigium quasi cœlitus demissum acceperant ac venerabantur. Quamobrem singulæ mutata veste, squalore fordibusque mærentes, communis Parentis exequias prosequuntæ, diu multumque flevere. Quid, inquam, flevere? Imo adhuc hodierno die solenni funeris hujus instauratione descent jacturam Principis immortalitate dignissimi; institutaque quotannis funebri laudatione amplissimas ejus laudes beneficiorumque magnitudinem ad gratam posterorum memoriam tradu-

ducere summo studio ac voluntate contendunt. Cui quidem gravissimo muneri cum sæpe alias robustioris eloquentiæ viri sese impares experti fuerint; quid ego consilii capiam, qui nunc potissimum de ipsis Leonis X. laudibus ad dicendum surrexerim, cum neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum his, qui se deant, ullo pacto comparandus? Verum cum in hac semper opinione fuisset, inter tot tantasque ipsius Leonis virtutes nullam omnino reperiri, quæ sublimi eloquentiæ apparatus indigeret ornari, sed satis superque esse, ut earum magnitudo in sui admirationem omnium erigeret animos, illas quasi nudas in medio proponere; hinc est, ut minus necessariam, aut idoneam hac in re eloquentiam futuram esse putaverim cum Geometria potius ad ipsarum magnitudinem rerum dimetiendam ac commodatior esse videretur. Veniam itaque dabit, Auditores, si cum ea ipsa, quæ necessario mihi sustinenda est oratoris persona, geometræ quoque partes susceperō. Ad hoc enim me, non tam ea, quam mihi ab ineunte ætate Geometriæ ipsius studium attulit, delectatio impellit, quam nova quædam & inusitata magnitudo virtutum, quæ specie plane insolita vim omnem superant eloquentiæ. Hæ vero tametsi in Leone plurimæ sint, & omnes de principatu inter se certare videantur, illud tamen, de quo nos præcipue hujus amplitudo loci & communis officii ratio opportune admonent, & quod, nobis tacentibus, hæc ipsa saxa ac parietes quodammodo prædicant, illud, inquam, est Roman

hujusce Archigymnasii egregium ac prope divinum opus. Quo quidem sapientissimus Pontifex non modo apud populum Romanum, sed apud exteras quoque nationes sibi nominis immortalitatem comparavit. Ad hoc igitur unum tam præclarum ac maximum Leonis X. beneficium, quantum & angustia temporis & ingenii mediocritas patitur, accurate designandum & quasi per partes explicandum aggrediar. Cujus, ut tota quanta est, luculentius magnitudo dignoscatur, longitudinem in eo, latitudinem ac profundum perscrutari & quodammodo dimetiri conabor. Ut nimirum celeberrima hac triplici Geometriæ dimensione, ex qua rei cujuslibet magnitudo desumitur, tum vos, Patres amplissimi, tum populus Romanus, tum exteræ gentes intelligant, quam magnum ex omni parte illud sit, quod a Leone X. in hoc uno beneficio acceperint, & quantum pro hoc ipso ab omnibus ei potissimum debeatur.

Nemo tamen sit, qui in præceptis institutisque Philosophiæ adeo me novum putet ac rudem, ut nondum satis perceperim, quid intercedat discriminis inter magnitudinem molis atque virtutis. Quamobrem temere & inani quodam conatu ad Geometriæ normam & regulam ea dirigere velim, quæ cum partibus dimetiendis revera careant, in longum, latum, aut profundum magna esse, aut dici minime possunt. Novi profecto, novi aliam esse virtutis mensuram; neque unquam ex circini ratione clarissimorum hominum magnitudinem desumendam esse putavi. Quia vero habet quoque sua spatia virtus; &

nonnunquam rerum gestarum magnitudine ita ex-
crescit, atque in amplitudinem extenditur, ut
longitudinis, latitudinis ac profundi aliquod præ-
ferat argumentum: cui alienum & virtutis ipsius
naturæ parum consentaneum esse videatur, ad
geometricam normam eam, quam nobis exhibet
virtus, magnitudinem quodammodo revocare?
Magnum itaque sive in longum, sive in latum,
sive in profundum illud contemplari libeat, fuisse,
dico, Leonis X. beneficium, Romano hoc
Archigymnasio tam sapienter splendideque resti-
tuto. Ab eo tamen, quod geometrico more po-
tremo loco deberet inquiri, exordium video ne-
cessario mihi esse ducendum. Non enim tam fa-
cile de reliqua tanti operis magnitudine dijudica-
ri posset, nisi primo quod quantumque in eo sit
profundum, liquido appareat. Profecto nonnullis,
qui per hos dies hoc ipsum Archigymnasium ex-
trinsecus longeque circumspiciunt, illud evenire
solet, quod pueris, tum etiam imperitis homi-
nibus, dum oculos in solem, aut sidera conji-
ciunt, quotidie evenit. Cum enim neque sensu,
neque scientia percipiant, quam vastum ac pro-
fundum illud sit spatium, quo clarissima eadem
coeli lumina a nobis longissime distant, inepte
prorsus stulteque de eorum magnitudine ac mole
ratiocinantur. Neque enim in animum sibi indu-
cere ullo pacto possunt, compluribus stellarum
globis terræ magnitudinem vinci; aut plusquam
millies & septingenties, imo plusquam viginti-
septies millies solem esse terra majorem. Quod
tamen ex accuratiori recentissimorum astronomo-

rum industria ac calculo satis liquido constat . Haud dissimili fere ratione non desunt , qui tam præclari operis magnitudinem capere , aut complecti animo nequeunt : imo vero de illo impudenter ac temere differunt , quod quam profundum fuerit hujusce rei institutum , minime intelligant . Quod certe intelligerent , si eorum temporum , non tam annalibus , quam luctuosa majorum , quæ tunc nobis imminabant , iliade sibi proposita , animadverterent , in qua rerum fortuna clarissimi hujus imperii dignitas , Romanæ Ecclesiæ jura ac Christianæ totius Reipublicæ salus versaretur . Viderent scilicet tristissimam Italiæ faciem undequaque fulgore armorum ac strepitu perturbatam . Viderent disseminatas multis in locis perditissimorum hominum opiniones , provincias ab auctoritate Romani Pontificis improbe discedentes , surgentes undique ac per omnia propemodum Christiani nominis regna pervadentes impiorum dogmatum pestes ; unoque verbo , res nostras in illud adductas fuisse discrimen , ut non jam de proferendis imperii finibus , sed de Italiæ ipsius possessione , de nostris hisce aris focusque certaretur . Quid igitur consilii Leo X. capiendum sibi esse duceret , qui in maximis ejusmodi turbinibus ac periculosis fluctibus Ecclesiæ navim gubernaret ? Quam salubriorem , aut probatam magis tam multis gravissimisque vulneribus medicinam afferret ? Nulla profecto visa fuit opportunior , quam bonas artes ubique tunc fere jacentes erigere . Hanc unam proximam & quasi compendiarium censuit fore viam ad tuendam

tem-

templorum religionem & Ecclesiæ dignitatem vindicandam: his telis atque armis improborum hominum conatus ac vim nefariam infringi posse ac repelli.

Et quidem non modo vetus est & sapientum omnium firmata iudicio, sed cum ipsis pene literis nata opinio, maximam esse in Republica vim literarum; neque aliud quicquam præter literas ad tuendam populorum felicitatem plus habere momenti. Quod præclare olim cum Mitylenæi intelligerent, eas, quas semel armis subegissent gentes, nulla alia, ut auctor est Ælianus, multabant pœna, nisi ut liberos suos omnino arcerent a literis: omne illis præsidium se sustulisse rati, ubi tantum literas sustulissent. Quorum consilio certe haud minus improbe ac malitiose fecit nefarius ille Christiani nominis proditor atque desertor infestissimus Julianus Imperator, qui quo certiores sibi ad Christianam religionem funditus evertendam muniret viam, iis, qui Christianæ eidem religioni sacramentum dixissent, literarum studia gravissimorum suppliciorum metu interdixit. Noverat quippe homo apprime callidus ac vafer in optimis disciplinis fitum esse firmamentum religionis ac Christianæ rei propugnaculum: quandiu vero ea studia storerent, religionem ipsam oppugnari minime posse, aut labefactari. Ex quo jam probe intelligitis, Auditores, quid sibi proposuerit sapientissimeque cogitaverit Leo X., cum in maxima ejusmodi perturbatione summoque Christianæ Reipublicæ tempore bonarum artium studia jam tum profligata

ac prope deposita ab interitu vindicare atque illis sedem & domicilium in hac Urbe potissimum restituere aggressus fuit. Non inane aut vulgare aliquod, sed gravissimum suscepit negotium, cum de inferendo nefariis hominibus acri ac perpetuo bello, cum de tuenda Romanæ Sedis auctoritate, de propugnanda sacrorum religione negotium suscepit. Quæ quidem omnia cum bonarum artium studio ac dignitate cum maxime conjuncta esse intelligeret, ea se satis feliciter consequuturum speravit, ubi ipsamet studia in hanc amplissimam imperii sedem atque Urbem omnium principem revocasset. Ne cui vero hæc ad augendam bonarum artium existimationem de industria a me dicta esse videantur; cogitate mecum, Auditores, qui tum Romanæ Sedis hostes, & quibus præcipue armis nefarium Ecclesiæ bellum intulissent: homines scilicet, qui in Græcis, Hebraicis Latinisque literis maxime versati atque omni eruditionis genere summopere instructi, non minus ipsis bonis artibus, quam audacia ac furore armati, ad omnia tum humana, tum divina sursum deorsum pro libidine pertrahenda impudentia plane singulari abutebantur. Quorum partim cum perversis distortisque sententiis sacrarum literarum sensum auctoritatemque perturbarent; partim pestilentissimis editis commentariis populorum animis perniciosas infererent opiniones; partim denique concionum impudentissimarum vi & frequentia urbes ac provincias ab ipsius Romanæ Ecclesiæ sinu complexuque divellere conarentur: unus tamen omnium erat furor, eoque

que communis spectabat improbitas, ut subdole
 exteris gentibus persuaderent, Urbem Romam,
 Catholicæ olim veritatis magistram, in summa
 nunc literarum ignoratione versari, atque ibi
 omnia jam pro avaritia ac libidine, non æquo
 jure ac doctrina ut olim consuevissent tractari.
 Ac proinde, Urbe ipsa jam omnino relicta, ad
 exterarum nationes germanam ac veram commigrasse
 pietatem & religionem; seque unos tum divini-
 tus fuisse oblatos sacrarum literarum magistros ac
 duces, qui in literarum ipsarum studio fere om-
 nem traduxissent ætatem, qui sapientia ac
 multiplici eruditione florerent, qui denique
 omnium prope linguarum notitia maxime excel-
 lerent.

Ut igitur impudentissima istiusmodi ora occlu-
 deret Leo, atque iisdem armis, quibus in Apo-
 stolicæ Sedis existimationem ac dignitatem ne-
 quissimi hostes impetum fecerant, in certamen
 descenderet, eosque quasi proprio ipsorum ense
 jugularet; non modo suum esse duxit, tales sibi
 deligere viros, qui doctrinæ & eloquentiæ partes
 pro ejusdem Sedis Apostolicæ majestatem gravissi-
 me sustinerent, sed clarissimis quoque undique
 accitis bonarum artium professoribus, arcem hanc
 disciplinarum munitissimam excitavit. In his ita-
 que castris stipendia mereri voluit gubernatricem
 vitæ ac ducem Philosophiam, qua, ut præclare
 Tullius, vir bonus & fortis efficitur, quaque Plato
 nihil præstantius hominum generi a Diis immortalibus
 dari potuisse censebat. Hic firmissimum illud
 Catholicæ religionis propugnaculum posuit Theo-

logiam, qua nihil præclarius, nihil divinius. Hic sacrarum literarum historiam, utriusque juris doctrinam, linguarum fere omnium studium. Quoniam vero eventu, quo auditorum numero, aut quanta bonarum artium gloria, illud satis sit dicere, optimas disciplinas tantam hic brevi asequutas fuisse celebritatem, ut, teste Paulo Jovio, Romanum hoc ipsum Gymnasium, neque Bononiensi, neque Patavino, vel doctorum præstantia, vel auditorum concursu concederet.

Quantum vero laudis Leoni X. apud omnes hinc accessisse putamus, quod scilicet tam sapientis consilio pervulgatos improbissimorum hominum sermones abruptisset, constitutisque in hac Urbe optimis disciplinis, dignitatem Romanæ Sedis, sacrarumque scripturarum auctoritatem non propugnasset modo, sed etiam quodammodo restituisset? Profecto propter unam hanc ipsam studiorum instaurationem communi omnium opinione usque adeo de hac Urbe, de his templis atque atis fuit optime meritus, ut plurimi & gravissimi viri in ea sententia fuerint, illum iis omnibus præferendum esse Romanis Pontificibus, qui multis ante annis tuendæ amplificandæque religionis gloria magnopere claruissent. Quod enim alii sanctissimas statuerint leges ad improborum frœnandam audaciam, sive ad populorum utilitatem promovendam; alii vero, ut rem Catholicam, si qua in parte nutaret, tempestive stabilirent, aut stantem erectamque opportune firmarent, universorum Patrum concilium advocaverint,

rint, in eoque multa sapienter ac divinitus instituerint; quod denique alii propugnandæ Christianæ Reipublicæ studio paraverint classes, copias instruxerint, ac sese in Principum Regumque cœdera adjunxerint, magnam revera & sapientiæ & religionis famam sibi compararunt: & nemo usque eo perfrictæ frontis erit, qui illos summa laude ac prædicatione dignos esse minime fateatur. Tamen si quis rem subtilius pergat inspicere, neminem istorum cum Leone ob ejusmodi meritorum famam ullo pacto conferendum esse cognoscet. Nam præterquam quod præclara ejusmodi facta ad eos Romanos Pontifices non ita pertinent, ut cum Leone quoque communia non intercedant; cum ipse & plurimas & gravissimas sanciverit leges, cum Lateranense Concilium a Julio II. indictum atque inchoatum & sapienter prosequutus fuerit & feliciter fausteque compleverit; cum denique ad propugnandam tum Ecclesiæ tum Italiæ libertatem, non modo frequenter potentissimorum Regum amicitias sibi comparaverit, sed pertinacis quoque ingenii Principes, quique dicto minus audientes fuissent, omni prorsus imperii jure abdicaverit. Id tamen quo reliquis palmam eripuit, & quo ei præ ceteris hæc Urbs, hæc mœnia ac religio tribuere plurimum debent, sine controversia fuit optimarum artium studia in hac ipsa Urbe amplissime restituisse. Nam quæ tanta vis ad servandam amplificandamque religionem sive in legibus, quas tempore sæpe abrogari videmus, sive in armis, quæ sæpe irritò, sæpe etiam pœnitendo inferuntur eventum,

tu, continetur, quanta ea est, quæ in bonarum artium institutione ac disciplina ponitur? Eæ siquidem sunt, quæ nos de ipso prope nutricis sinu acceptos sapientiæ lacte nutriunt ac fovent. Eæ sunt, quæ puerilem ætatem ad humanitatem & honestatis regulam informant. Eæ quanta sit in virtute dignitas ac splendor, quanta in vitiis labes & turpitude edocent. Eæ denique veram erga Deum pietatem, rebus divinis reverentiam, religionem templis, principibus fidem atque observantiam constantissime habendam esse ostendunt. Quæ sane si quis semel cum prima vitalis auræ particula ac pene cum lacte ipso penitus imbiberit, tam recte sapienterque reliquum vitæ conficit spatium, ut ad virtutis naturam non tam factus, quam natus esse videatur. Hæc itaque mens, hoc prope divinum fuit maximi Pontificis consilium: honestissimas disciplinas in antiquum Urbis hujus domicilium, unde per acerbissimas rerum vices tanquam de sede sua deturbatæ fuerant, revocare, quo una cum illis integritatem, justitiam, fidem, omnem denique virtutem postliminio revocaret. Hujus quidem sapientissimi instituti rationem postea Tridentini Patres non modo communi omnium consensione probarunt, sed nihil eo visum fuit opportunius, quodque ad veterem instaurandam adeo tum collapsam Ecclesiasticam disciplinam magis esset accommodatum. Ac proinde, ut tam arduum ac periculosa plenum aleæ negotium auspicato susciperent, non aliunde omen, quam ab ipsa studiorum instaurazione ubique gentium utiliter insti-

stituenda, quæri oportere duxerunt. Quamobrem hac de re primo & in ipso rerum agendarum limine tanquam de causa omnium maxima præcipue cogitandum esse putarunt ac tempestive accurateque statuendum. Ex quo satis liquido constat quam grave tum fuerit de hujusmodi studiis jampridem in hac Urbe a Leone instauratis hominum sapientissimorum judicium, & quam profundum illud æstimari debeat opus, in quo religionis præsidium, innocentiam vitæ & Ecclesiasticæ disciplinæ dignitatem Tridentini Senatus auctoritas usque eo positam esse judicavit.

Jam vero ne longius, quam par est, protrahatur oratio, quanta sit præclarissimi ejusdem beneficii latitudo, diligenter attendite. Equidem si reliqua Urbis gymnasia, quocumque illa sint, cum hoc omnium principe conferantur; quodnam quæso est, quod scientiarum multitudine, quod varietate linguarum, quod denique rerum omnium humanarum divinarumque universitate quadam ampliorem præferat latitudinem? Multis quidem aliis in scholis tum Philosophiæ, tum Theologiæ studia docte ac perite pertractantur. Ubi vero plura Theologorum subsellia, plures Patrum sententiæ atque auctoritas? Ubi in tot distributa classes Philosophia universa? Quid vero dicam de Mathematicis disciplinis? Quid de tanta linguarum multitudine, cum præter duas illas ceterarum facile principes, Græcam scilicet ac Latinam, Hebraicis quoque, Arabicis ac Syriacis vocibus domicilii hujus parietes quotidie perfont? Illud vero, quod majorem Academiæ hu-

huius amplitudinem facit, quodque ei singulare omnino tribuitur ac proprium, procul dubio est tum juris legumque disciplina, tum medendi facultas: quæ quidem duo quantam, Deus immortalis, univærsæ Reipublicæ utilitatem afferunt, & quam amplissime per omnia humana ac divina pervagantur? Ex tanto autem ac tam splendido disciplinarum omnium apparatu, ex tanta scientiarum turba tam multa sunt, quæ & in publicum & in privatum civitatis bonum derivantur præstantissima commoda, ut in iis summatim & quasi compendio recensendis difficilius fortasse sit exitum, quam principium invenire. Quocunque enim oculos cogitationemque converto, nullus mihi fere locus, nullum hominum genus occurrit, cui hoc studiorum emporium utilitatem aliquam non afferat & emolumentum. Hic enim ætatis cujuscunque atque ordinis adolescentes paratissimum habent perfugium, in quo sine molestia, sine impensa, & quod certe pluris est, sine melioris ætatis impendio diuturnoque tædio, brevi, & ut Quintilianus admonet, methodo satis simplici, tam humanioribus literis & eloquentia, quam gravioribus disciplinis instituantur, studiorumque suorum cursum summa facilitate ac brevitate conficiant. Quamobrem supervacaneum & inanis prope laboris esset hoc loco diligentius recensere quot præclari ingenii juvenes in his scholis olim liberaliter educati latinis postea græcisque literis flourerint; quot Philosophiæ studio, aut Mathematicis disciplinis, quot medendi facultate, aut juris tum Civilis tum Canonici scientia præstantes nomen-

men suum immortalitati donaverint. Innumeri siquidem nunc præ oculis nobis sunt, qui amplissimo huic loco doctissimisque hujus Academiæ professoribus acceptum referunt quidquid sibi honoris ac dignitatis contulit studium earum artium, quarum hic jam posuerant rudimenta.

Neque vero intra privatas tantum ædes, aut intra Urbis muros beneficii hujusce ratio ita se continet, quin & foras erumpat, atque in alias quoque regiones, non modo per Italiam universam, sed per omnes propemodum Christiani imperii fines longe lateque excurrat. Quantam enim in dies videmus esse auditorum frequentiam? Quantum ex omni fere Europa concursum? Quot Jurisprudentiæ, aut Medicinæ, aut quibusvis aliis disciplinis operam daturi e transalpinis provinciis huc summo studio ac voluntate confluunt? Ut jam hæc disciplinarum officina non tam populo Romano, quam omnibus fere gentibus posita esse videatur. Ex qua quidem peritissimi illi Juris dicundi magistri profecti sunt, in quorum auctoritate ac doctrina tam multis hodie in locis municipiorum leges, civitatum jura ac bona civium fortunæque nituntur. Hinc Hippocratis accepere aphorismos tot clarissimi viri, qui jam summa laude medendi facultatem sustinent, quorum ore ac spiritu vita principum ac populorum salus animari quodammodo ac sustentari videtur.

At vero quam in omnes tum cives Romanos tum exteras gentes hæc late pateat studiorum beneficentia, haud satis intelligi posse arbitror, nisi a nobis, quæ præcipua sit Romanæ urbis dignitas

tas atque auctoritas, diligentius examinetur. Duo sunt omnino, quibus omnis Reipublicæ salus maxime innititur, iisque sublatis, ipsa diu salva consistere nullo modo potest, religio scilicet & optimarum legum custodia. Quæ quanvis optimæ cujusque civitatis statum constituere videantur, ad urbem tamen Romam, veluti ceterarum omnium caput, ea duo potissimum pertinere nemo unquam sanæ mentis dubitavit. Cum enim amplissimam hanc Urbem religionis Catholicæ sedem esse ac domicilium voluerit Deus, ubi Romanus Pontifex tanquam in augustissimo Orbis theatro vicariam ipsius Dei personam apud homines gerens, Christiani totius imperii clavum teneret; illud necessario consequitur, ut ceteræ gentes hinc leges ac jura petere debeant, & ad hanc ipsam Urbem jam de religione jam de aliis gravissimis rebus consulendi causa ex omnibus fere terrarum partibus convenire. Et quidem ubi plures simili splendore ac dignitate virorum sapientissimorum conventus? Ubi major judiciorum frequentia atque amplitudo? Ubi tot curiis, tot judicum collegiis hominum quasi exercitus distributus? Tanta vero juris tum Civilis tum Pontificii scientia, tanta in legibus explicandis interpretandisque notitia ac facilitas, cui magis quam Leoni accepta referri debeat, non video. Nam si id, quod res est, fateri volumus, ipse fuit, qui in misera illa disciplinarum nocte atque caligine clarissima sapientiæ lumina in hanc Urbem invexit. Ipse fuit, qui magnis propositis præmiis sapientissimos utriusque juris magistros invitavit;

atque operam dedit, ut non modo Romanæ urbis, sed Orbis propemodum universi juventus Romæ duces haberet peritissimos, qui in legibus, in senatusconsultis, in edictis prætorum, in decretis principum ac gentium jure intelligendo explicandoque viam ac rationem ostenderent. Ex quorum labore quotidiano atque industria quantum postea splendoris existimationisque huic Urbis accesserit, aut quam uberem in dies fructum in causis forensibus judiciisque populus Romanus atque exteræ nationes percipiant, cui tanta suppetit dicendi facultas, ut satis ac pro dignitate dicere possit? Quod si custodia legum, ut præclare & graviter inquit Euripides, civitates continet; ac juris legumque neglectu florentissima & opulentissima orbis imperia funditus concidisse videmus: nonne populorum vindicem atque imperii statorem Leonem X. haberi ac dici oporteat, qui de legibus ac jure earum omnium gentium, quæ a Romana Sede religione, fide & observantia pendent, tantopere laboraverit? Non est igitur, cur miremur, quod beneficentissimo Principi statuat in Capitolio populus Romanus dedicaret, ab eoque restitutam instauratamque fuisse Urbem insigni monumento profiteretur: cum potius mirandum esse videatur, cur ceteræ quoque urbes ac Christiani imperii provinciæ singulas ejus nominis immortalitati statuas haudquaquam posuerint. Quandoquidem non Urbem duntaxat, neque solam populi Romani utilitatem spectat tanta cum disciplinarum ceterarum dignitas, tum juris legumque auctoritas atque majestas, sed eas
om-

omnes latitudine sua complectitur gentes, quas ut religione, ita legum societate cum hac ipsa Ecclesiastici imperii fede conjunctissimas esse oporteat.

At superest jam, ut quam brevissime longitudinem ejus beneficentiæ consecutemur, cujus profundum hætenus aliquo pacto dimensi sumus ac latitudinem. Plurima quidem sunt, quæ excurrunt in longitudinem, quæque hoc uno longitudinis nomine, multiplici tamen ratione sub Geometriæ regulam commode cadunt. Illud vero, quod haud postremo loco venit, & nunc ex re nostra potissimum esse videtur, est temporis longitudo ac mensura. Hæc plane in definienda rerum natura tanti semper fuit, ut persæpe, quæ minima esse videbantur, cum ad ea longitudo temporis accessisset, eadem & multa numero & magnitudine maxima esse, sapientissimorum hominum judicio constitutum fuerit atque decretum. Quæ sane judicandi consuetudo apud juris interpretes, tum apud prudentissimum quemque, cum jam sit veteri usu recepta, quodnam esse poterit de hac Leonis beneficentia hominum judicium, si longitudinis ejus ratio atque utilitas perpetuo mansura exploretur? Non iis tantum, qui tumerant, Pontifex sapientissimus, neque unius ætatis commodo consultum esse voluit, sed posterorum tempora longissime prospiciens, de liberis vestris, de iis, qui adsunt, ingenuis adolescentibus anxius vehementer fuit ac sollicitus. Qua vero singulari industria, quo consilio atque incredibili sapientia? Natura quidem ita comparatum est, ut unusquisque maxime im-

mor-

mortalitatis studio ducatur. Quoniam vero, ut graviter ait M. Tullius exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit; tam breves vivendi terminos in posteritatis memoriam rebus præclare gestis beneficiorumque magnitudine prorogandi insita nobis est ingens cupiditas, ut nimirum nisi spiritu vitæ, nominis saltem immortalitate vivamus. At quotusquisque est, qui in posterum ita provideat, ut pulcherrima beneficiorum suorum monumenta immortaliter vivant, neque unquam situ jaceant, aut cœca oblivione involvantur? Haud raro res præclare sapienterque a majoribus institutas fortunæ casibus, aut posterorum languore & socordia perditum iri videmus, quod ex adversus istiusmodi injurias nullo fatis præsidio firmatæ fuerint aut communitæ. Planius & apertius dicam: complures vetustiori ætate jam extiterant Romani Pontifices tam literarum, quam literatorum amantissimi, qui Romæ etsi non omnium, aliquot tamen studiorum jecerant fundamenta. Instituerat Innocentius IV. Juris Civilis & Canonici studium, cujus ipsum fuisse scientissimum satis ea perspicuum faciunt, quæ in Decretales Pontificum luculentissima edidit commentaria. Plures alias addiderat disciplinas Bonifacius VIII. universorumque studiorum formam quandam in Urbe præscripserat. Neque multo post doctos & in literis Hebraicis, Arabicis Chaldeisque eruditos professores Clemens V. invexit. Aliaque deinde alii. Quonam vero eventu? Nemo eorum, quo destinaverat, rem auspicato perduxit. Nemo literarium negotium ita firmavit, ut de-

curfu temporis bonarum artium studia nullam vim pertimescerent, nullaque die ad interitum vergerent: cum ipsamet studia Leonis atate jam adeo laborarent, adeoque profligata essent ac perdita, ut quasi ab inferis ea revocari oportuerit.

Quid igitur Leo, ut opportune hujusmodi malo omnino præcluderet aditum, atque optime non de sua tantum, sed de posterorum quoque omnium memoria perennis beneficii longitudine promoveretur? Singularem hominis providentiam ac divinum prope consilium quæso cognoscite. In medio ac frequentissimo Urbis loco has, quas videmus, magnificentissimas ad cælum extollit ædes, quarum prospectus, impluvium, porticus, amplissimum perystilium ac cetera ejusmodi sunt, ut & laxitate & elegantia a bonarum artium dignitate minime abhorreant: digna profecto, quæ atate quoque nostra tum illa immortalis memoriæ scemina Christina Svecorum Regina aspectu cohonestaret suo; tum etiam Alexander VII. Pontifex Maximus majestâte sua aliquando impleret. Quid postea? De Pontificio arario Leo ipse haud exiguam vectigalium detrahit partem, ut bonarum artium magistri tam Romani Pontificis beneficentia, quam publico civitatis sumptu alerentur. Quorum alios insuper ab ipso ingentibus donis, alios honoribus, alios etiam bene opulentiis sacerdotiis auctos fuisse atque ornatos Paulus Jovius commemorat. Tot præterea leges sapientissimas addit, partim optimæ studiorum rationi administrandæ accommodatas, partim ad professorum eruditionem & disciplinam, partim
etiam

etiam ad eos, quorum in fide ac patrocinio hanc esse voluit Academiam, spectantes; ut neque præstantius, neque præclarius civitatis alicujus utilitati æternitatiq̄e caveri potuisset. Quod igitur, labente jam tertio ab hac studiorum instauratione seculo, tanto semper floruerit concursu isthæc bonarum artium Respublica, tantaque professorum ejus, per omnem ætatem extiterit virtutis, integritatis ac sapientiæ fama, ut ex his subfelliis non modo innumeri ad sacras infulas, verum etiam ad purpuræ dignitatem complures evecti fuerint, quod denique major in dies hinc profectura sit studiorum existimatio ac nomen; nonne acceptum potissimum profiteri debemus singulari providentiæ ac consilio ipsius Leonis, qui in eo totus fuit, ut beneficentiam hanc suam ad omnem posteritatis memoriam commoditatemque traduceret? O beneficentiam ejus non modo latitudine magnam, verum etiam longitudine maximam! Dum clarissima hæc Urbs, dum hæc mœnia, dum populi Romani nomen erunt, immortalis omnium memoria vivet laudatissimus Pontifex, non solum ob perennem contestatamque virtutum suarum famam, ob singularem in ornanda amplificandaque Urbe magnificentiam, ob invictam animi constantiam, pietatem ac religionem; sed eo potissimum nomine æternitatem consequetur, quod tam populi Romani, quam exterarum gentium animos sibi summo perpetuoque beneficio devinxit. Non uberrimum tantum, sed juges, sed sempiternos nobis disciplinarum reclusit fontes. Noverat quod conquirit scribit Sene-

ca illud maximum esse beneficium, quod semper ante oculos est, & oblivisci sui nunquam finit, sed auctorem suum, ut ipse ait, ingerit semper & inculcat. Noverat haud fatis dari, etsi necessaria, utilia ac jucunda darentur, si ea, quæ dantur, mansura omnino non essent. Ut igitur magnum undequaque in hac studiorum instauratione conferret nobis beneficium, non modo in eo profundum ac latitudinem; sed perennem etiam perpetuoque duraturam esse voluit longitudinem. Cujus quidem ingens & infinita propemodum mensura cum vix percipi cogitatione possit, nonne eam attentare, ut de cœli dimensione censuit Plinius, furor esse videretur? Nulla profecto vis hominum atque audacia, nullum tempus, nulla ætas, nulla poterit abolere vetustas tam præclarum & immortale Leonis X. beneficium. Imo dum literæ, dum Roma, dum Orbis erit, bonarum artium studia in amplissimo hoc Lyceo constanter perpetuoque florebunt.

Utinam igitur mihi nunc tanta vis ingenii tantumque esset ab eloquentia præsidii, ut & Academicæ hujus universæ nomine, & populi Romani & gentium omnium vocibus eas tibi, Leo Pontifex sapientissime, immortales gratias agerem, quas tibimet Archigymnasti hujus statore, bonarum artium vindici ac literarum parenti beneficentissimo quam maximas deberi summo omnium consensu ac solenni religione profiteremur. Sed quoniam beneficiorum tuorum amplitudine non eloquentiam modo, sed Geometriæ quoque mensuras superasse videris, hoc plane restat unum,

num, ut jam manus ultro demus; teque longius atque ulterius, quam quo dicendi facultas & inuitata quælibet laudandi industria assequi valeat, beneficentiæ magnitudine processisse silentio fateamur.

Eminentissimo ac Reverendissimo

JO. BAPTISTÆ

S P I N U L Æ

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

C A M E R A R I O

Paulinus a S. Josepho Scholarum Piarum.

SI optimæ artes, Romani hujus Archigymnasii felices incolæ, ipsæ per se loqui possent, magnas profecto tibi gratias agerent, Cardinalis amplissime; ac nemini magis quam tibi acceptum profiterentur honorem, quem præclaro tuo de se judicio sibi maxime restitutum fuisse gratulantur. Cum enim nescio quo malo literarum fato contigisset, ut superiori ætate patrocinium Academicæ hujus fere apud eos esset Cardinales Camerarios, qui quemadmodum genere, ita sollicitudine & cura ad sustinendum Ecclesiæ imperium cum Romano Pontifice con-

jungebantur : inde fieri solebat , ut in tot tan-
 tisque illi versarentur negotiis , ut de hac lite-
 rarum provincia ne cogitare quidem possent ;
 aut etiam si possent , in eo dignitatis fastigio
 positi Deorum illorum instar esse viderentur ,
 quos magna curare , parva negligere M. Tul-
 lius existimavit . Ex qua quidem inanis patro-
 cinii forma quæ quantaque deinde rem hanc li-
 terariam invaserint mala , eo libentius præter-
 mitto , quo magis jam latent neminem . At
 tandem aliquando singulari Dei immortalis be-
 neficio factum est , ut cum amplissimo Camera-
 rii munere , quod fidei summæque tuæ integri-
 tati Romanis Pontifex demandavit , hæc quo-
 que studiorum cura obveniret tibi , qui & de
 literis optime sentires , & earum patrocinium
 a dignitate tua abhorrere nunquam judicares .
 Qua de re præclarum satis tunc maxime dedi-
 sti argumentum , cum ad vetera patrocinii
 ejusdem jura auctoritatemque vindicandam ,
 publicas etiam inimicitias literarum causa su-
 scipere minime dubitasti . In quo certe quanti
 amplitudinem hujus loci faceres , tam aperte si-
 gnificasti , ut optimæ artes ex hac tua erga se
 voluntate ac studio honorem sint incredibilem
 consequutæ . Hinc enim perversa illa , quæ su-
 periori memoria de cura Archigymnasii hujus
 tanquam de re minus gravi dissipata fuerat
 opinio , auctoritate tua atque judicio refutata
 est omnino . Hinc labes illa ac macula , quæ
 tot annos Academiæ hujus nomini infederat ,
 per te deleta penitus fuit atque restincta . Hinc

denique honestissimæ disciplinæ quasi alumnae
 quedam tuæ ac familiares animum erigere cœ-
 perunt pauloque liberius respirare. Quas igitur
 tibi tanquam præclarissimo dignitatis suæ sta-
 tori ac vindici ingenuæ artes immortales pro-
 fitentur gratias, eas profecto Romani hujus Ly-
 cei professores earundem nomine debent tibi,
 perpetuoque debebunt maximas. Horum itaque
 in numerum ego quoque beneficio præsertim tuo
 nuper adscriptus, quamquam ætate, loco &
 eruditione omnium postremus, in dignoscendis
 tamen tuis erga nos meritis nemini inferior,
 eas Eloquentiæ nomine gratias ago, quas ma-
 ximas pro exiguis viribus meis possum. Pudet
 vero me haud posse aliquod tibi supra vulga-
 rem consuetudinem ingenii munus offerre,
 quod singulare ac perenne esset memoris animi
 mei monumentum. Etenim quod hanc oratio-
 nem ex aliqua saltem grati animi significatio-
 ne nomini tuo inscriptam voluerim, id mihi
 intercedit commune cum multis, qui jam an-
 tea hoc ipsum splendidiori fortasse eloquentiæ
 apparatu præstiterunt. Quid igitur? Ab omni
 prorsus officii genere mihi diutius temperarem?
 Id neque observantiæ meæ rationes, neque tua
 cum publica, tum etiam privata in me bene-
 ficia patiebantur. Unum itaque superest, ut ni-
 mirum non tam orationem hanc ipsam, quam
 oratoris studium ac voluntatem spectatam ha-
 bere maxime velis. Hinc enim fiet, ut hoc
 idem munus, quod si ex sua, vel tua dignita-
 te spectetur, perexiguum certe est ac prope ni-

*hil, ex magnitudine tamen animi multo ma-
jora dare cupientis aestimatum, quid magnum,
aut saltem aliquid esse videatur.*

DE INFELICITATE
ILLITERATORUM.

ORATIO IV.

Habita xv. Kalen. Novembris, anno MDCCXIV.

MIRATUS sum sæpe ac vehementer, quid esset, quod majores nostri, qui tam multa graviter sapienterque in eos statuissent, a quibus aliqua ex parte rem publicam perturbari posse suspicarentur, nulla tamen lege, nullo S. C. aut Prætoris edicto singularem hominum illorum amentiam coercendam esse putaverint, qui cum acri ingenio ceterisque rebus, quibus literarum studia aluntur, maxime abundant, in supinam nihilominus oscitantemque socordiam ætatis florem perditissime abjiciunt. Non enim illud facile intellegebam, qua de causa tot leges alioquin sapientissimas, Corneliam, Juliam, Aciliam, Calpurniam, Maniliam, Æliam, Fusiam aliasque complures constituissent, quibus sæpenumero non tam malum, quam mali suspicionem a republica dimovere conati fuerunt; nullam deinde censuissent in eos esse rogandam, quos optimis disciplinis infensos desidiaque deditos, reipublicæ perniciosissimos esse summoque dedecori, nemo unquam dubitavit.

Ne-

Neque vero majores, homines plane incredibili
judicio ac sapientia ornatos, latere poterat, iner-
tia nihil esse foedius, nihil humanarum divinarum-
que rerum ignoratione periculosius: cum probe
perciperent otio ali solere vitia, & frequentissime
otium ipsum non modo privatos homines, sed &
Reges, & beatas olim urbes in interitum exci-
diumque traxisse. Hæc aliaque id genus dum ma-
turius animo reputarem, illud tandem mihi com-
pertum est, jure optimo nullam in ejusmodi ho-
mines a majoribus latam fuisse legem, quod in
eos jampridem non unum, sed multiplex supplicii
genus a natura ipsa fuisset providentissime con-
stitutum. Cum enim ex veteri quadam consuetu-
dine institutoque naturæ ita comparatum sit, ut
iidem apud omnes fere nationes insigni turpitudi-
ne ac summa infamia laborent, cumque vitam
omnino tristem, ærumnosam, curarum ac mole-
stia plenam & morti, ut ita dicam, propiorem,
quam vitæ ducere cogantur; bene ac sapienter
majores nulla alia severiori lege nulloque gravio-
ri judicio in ipsos animadverti posse putarunt.
Decreveram itaque hodierno die ad inflammandos
sapientiæ studio juvenum horum clarissimorum
animos non alia ratione uti, quam luctuosum hoc
ipsum, quod ignavi homines de se ubique terra-
rum præbent, spectaculum exhibere. Hinc enim
fore sperabam, ut honestissimi juvenes infelicissi-
mum illud vivendi genus quam maxime detestaren-
tur, cui & nullam unquam impunitatis spem esse,
& summa gentium omnium invidia conflagrare in-
telligerent. Nolui tamen per singulas orbis partes

excurreret ac peregrinaretur oratio: nolui externa, aut longius petita conquireret, cum tam multa domi suppetant hominum inertissimorum supplicia. Sed unum & quidem domesticum, quod multis fortasse levissimum, mihi vero supplicium omnium maximum quodque ceteris anteponendum esse videtur, in medio proponam; ita tamen, ut neque ab hodiernæ celebritatis instituto abhorreat, neque a studiis vestris, juvenes, alienum esse censeatur. Quod tum plane me facturum esse confido, si ea, qua potero, brevitate ostendam: nihil durius atque acerbius illiteratis hominibus posse contingere, quam quod Romæ vivant. Quo quidem argumenti genere illud, quemadmodum spero, efficiam, ut qui summa frequentia adsunt optimi juvenes alieno supplicio deterriti, aut tempestive totis viribus ad sapientiam incumbant, aut ultro sibi aliquando exulandum fugiendumque esse cognoscant ex hac pulcherrima Urbe, in qua ignavis illiteratisque hominibus citra summam infamiam atque impune vivere minime liceat.

Atque utinam mihi in hoc primo orationis aditu imitari fas esset factum Socratis sapientissimum, qui quo suorum animos ab iracundia longius abduceret, non graviozem illi, qui forte irascere-
tur, mulctam irrogabat, nisi ut in speculo oris habitum vultumque ira furem contempleretur. Existimabat siquidem vir prudentissimus ad iram maxime detestandam unumquemque satis commoveri posse, si oculis, quorum sensus esse solet acerrimus, turpitudinis ejus speciem propositam habuisset. Utinam igitur & nobis hodierno die
haud

haud dissimile speculum, in quo homines indocti sese intueri valerent, excogitandi elaborandique facultas tribueretur. In eo profecto illi quales se, Deus immortalis, conspicerent! Hominesne an pecudes dicam? Quandoquidem non Circaeo aliquo Populo, sed otio desidiaque imbuti tam longe ab omni humanitatis studio recesserunt, ut si id, quod revera est, fateri volumus, non tam hominum, quam pecudum loco habendi esse videantur. Cum enim duo sint, per quæ a ceteris animalibus vel maxime discernimur, ratio scilicet & oratio, quarum utraque in ejusmodi hominibus rudis solet esse omnino atque inchoata; nondum plane inter sapientes constitutum est, plusne ad hominis, vel pecudis naturam accedant, licet inter ipsos ac pecudes haud multum interesse nemo unquam sapiens dubitaverit. Quid vero pecudes eos mihi nominas? inquit Aristippus: lapides potiori jure censeari debent. Etenim sive in foro, sive in circo, aut quovis alio in loco sedeant, semper lapis super lapidem sedet. Parcius tamen multoque moderatius in insectanda istorum ignavia se gessisse videtur Cicero, qui inertissimum unum ex hoc grege hominum Pisonem non lapidem, sed truncum aliquem ac stipitem pronuntiavit. Quicquid vero sint istiusmodi homines aut lapis, aut truncus, æquo animo esset ferendum, si ab omni hominum consortio remoti, in montibus inclusi, aut sylvis abditi delite scerent. Eorum quippe naturæ consentaneum prorsus videtur, ut qui literarum & humanitatis omnis expertes sint, non inter homines, sed inter feras

com-

commorarentur. At vero quod Romæ in urbe scilicet omnium principe atque in tanta sapientiæ luce homines alioquin honesto loco nati versentur, atque ita versentur, ut neminem tam apertæ eorum ignaviæ fugere possit suspicio, quis adeo mentis est impos, qui id, quam turpe sit, minime videat? Utinam tamen ipsi quoque aliquando hoc viderent exploreteque cognoscerent. Profecto in abditissimo aliquo orbis angulo focordiæ suæ latibulum quærent. Neque enim per exiguam in hac urbe diem agere eos sineret pudor atque ignominia: sed quasi saxa hæc ipsa ac rudera, quæ certe plurimo eruditionis sensu informata sunt, in eorum pinguem reclamassent inertiam, hos penates, hæc templa, atque hæc mœnia continuo fugerent, abirent, proficiscerentur. At quoniam usque eo se ignorant, atque urbis hujus aspectu tantopere delectantur, maneat, si libet, Romæ: imo etiam, si Diis placet, in literatorum hominum cœtum sese haud raro immiscere audeant. Hoc enim nobis ad infamiam, qua ipsi in literatissima urbe maxime flagrant, dignoscendam luculentius percommode cadit. Quid vero inter viros summa sapientia ac doctrina ornatos agent istiusmodi homines in literis peregrini omnino atque hospites? Qua ratione infeitiam suam dissimulabunt tam callide, quin apud omnes ridicula capita censeantur? Tacebunt, credo. At præterquam quod silentii hujus importuni diuturnitas eos aperte nimis de ignavia sua coargueret, quid tandem est in honestissimo hominum conventu, ubi de multiplici disciplinarum genere,

de

de amœnioribus literis, de Historia, de Dialectica, de Geometria res sit, nihil respondere, nihil penitus dicere ac prorsus obmutescere, nisi revera se truncum stipitemque inanimem venditare. At fortasse loquentur. Quid vero? Quade re? De iis, opinor, optimis artibus, quarum non modo dignitatem, naturam ac partitiones ignorant, sed ne nomen quidem satis perceperunt? Recenti memoria factum quæso cognoscite, cui nisi pro testimonio accederent complures viri gravissimi, de industria a nobis excogitatum confictumque esse videretur. Hominem in primis nobilem, sed in literis plane novum cum aliis plurimis, qui dignitate perinde ac doctrina eminebant, convocaverat ad convivium vir in hac civitate primarius. Cumque epulæ variis honestisque protraherentur sermonibus, accidit id, quod fere inter literatos viros solet accidere, ut mentio fieret de iis optimis artibus, quas ut libero homine dignas, ita majores nostri liberales ac peculiari nomine bonas artes appellarunt. Has itaque Romæ hoc quidem in tempore florentissimas esse partim contendebant, partim e contrario jacere & jam quasi ad interitum vergere. Cumque opinionem pro se quisque suam qua ratione, qua exemplis confirmaret; homo ille infusus, qui Philosophiam ne primoribus quidem labiis attigerat, nec quantum discriminis inter liberales & mechanicas artes intercederet, unquam audierat; miror, inquit, mehercule a quopiam in dubium vocari, num bonæ artes Romæ hac tempestate vigeant, in qua aurigandi studium ma-
gno-

gnopere vigere nemo est, qui dubitet. O singularem animi stuporem! O amentiam incredibilem! Quos risus tam levem importunamque sententiam consequutos fuisse putatis? Excusari quidem facile poterat homo imperitus, si inter ingenuas ac nobiles disciplinas maxime posuisset architecturam ac pingendi sculpendique facultates, quas in Urbe dudum singulari Clementis XI. beneficentia restitutas ac præmiis auctas fuisse videmus. Enimvero inter liberales artes aurigandi peritiam extollere, cui risum non moveat? In eo tamen, puto, deceptus fuit homo peracuti ingenii, quod complures in hac civitate vidisset principes viros aurigandi studio tantopere delectari; & quod dolendum magis est, persæpe in liberorum institutione ad id magis incumbere, ut pueri bene ac naviter equis inflectendis, aut sonantis flagelli crepitu concitandis assuescant, quam literis honestisque moribus informentur. Sed jam nimium multa de iis, quæ fortasse per jocum, tum etiam ex industria ad convivii hilaritatem dicta fuisse videantur. Fac tamen de trita atque omnium ore pervulgata historia aliqua sermo gravis omnino ac serius inciderit: quam inepta tibi ac minime consentanea ejusmodi homines respondebunt? In eos tunc perbelle cadit Galeni illud: stulti ad cribrum. Quandoquidem indistincte nulloque judicio ætates hominum ac tempora pertractantes, confundent Persas ab Alexandro victos cum iisdem sub Cyro rege victoribus: Catonem Censorium indiscriminatim pro Uticensi usurpabunt, aut unum etiam ex duobus constabunt;

bunt ; unoque verbo, quot dicta, totidem congerent anacronismos : nisi forte Alexandros, Cyros, Catones aliaque hujus generis celebratissima nomina audientes, tanquam ab sibi ignotas prorsus ac barbaras voces hæreant. Quid vero si de urbe aut provincia aliqua, non ad Antipodas quidem posita, sed a nobis paulo remotiori instituaturs oratio? In quot enormes impingent scopulos, quantisque locorum sese implicabunt erroribus? Nam cum omni Geographiæ lumine careant, haud raro fit, ut tam longe ab eo, quod propositum est, aberrent, ut si de Asiæ rebus agatur, iidem in America versentur, ac de Mexico interrogati de Æthiopia respondeant. O miseram plane atque infelicem illiteratorum hominum conditionem! Si taceant, ut elingues reprehenduntur; si loquantur, citra risum & infamiam loqui minime possunt.

At vero non Romæ tantum, dicet aliquis, sed in multis quoque aliis civitatibus eadem manet id genus hominum irrisio idemque supplicium. Non est igitur, cur in ipsos Romæingas singulare patibulum. Apud omnes fere populos de literis optime meritos haud dissimiles ignaviæ suæ poenas perpendant necesse est. Fac omnino ita esse: & quacumque in civitate sint isti literarum ofores, dedecore ignominiaque notentur. Nusquam tamen id magis aut frequentius, quam Romæ contingere posse contendo. Quod quidem ne temere aut ex levi aliqua conjectura dictum esse videatur, urbem Romam ejusque conditionem ex uberrimo, quo per omnem ferme ætatem ditata fuit,

fuit, doctrinæ censu mecum paulo accuratius penditote. Quanta hic semper hominum doctissimorum frequentia? Quanta poetarum, rhetorum, philosophorum theologorumque primi ordinis multitudo? Quot clarissima jurisprudentiæ lumina? Ut in qua disciplina alibi locorum vix unus aut alter alicujus nominis reperitur, in ea Romæ veluti multiplex seminarium existat. Cum enim ad hanc Urbem, Christiani imperii caput, ex omnibus prope orbis partibus in diem confluant viri ingenio acerrimi atque in omni disciplinarum genere perpoliti, tanta hic est, semperque fuit ingeniorum urbertas, tanta literarum gloria ac dignitas, ut vel Athenis Romæ doctrinæ palmam eripuisset, vel Athenæ Romam commigrasse videntur. In hac igitur tanta ingeniorum luce tantoque concursu sapientum abinam tarditatem atque animi sui stuporem illiterati homines occultabunt? Amicitiamne aliquam familiaritatemque inire poterunt, in qua apud viros & dignitate & eruditione gravissimos minus offendant. Quod tandem vitæ genus in Urbe agent? In aula, opinor, Purpurati alicujus principis locum nobilitate aut gratia sibi comparabunt. Itane vero? Dicam plane, quod sentio. Rejicere ab se deberent omnino ignavos hujusmodi homines amplissimi Patres; & in hac re maxime, clarissima illa Romanæ purpuræ lumina, Bembo, Sadoletos, Contarenos, Campegios, Estenses, Borromæos aliosque horum simillimos imitari, quorum sollicitudo in eo præcipue fuit, ut perhonorifica mercede proposita, nisi viros literis ac doctrina præstantissimos in suo-

suorum familiarium ordinem neminem cooptarent. Hinc enim esset & literis patrociniū & amplissimæ dignitati ornamentum. Hinc nominis sui memoriam non cum vitæ tempore dimitterent, sed cum omni posteritate adæquarent ex literis suorum ac monumentis immortalitate donati. Sed non id agimus; utque jam eo, unde digressi sumus, redeamus: esto in aulam admittantur isti, non tam homines, quam hominum simulacra, ut saltem ipsimet aulæ ornatum conferant statuarum more, aut earum arborum similes, quæ multo foliorum tegmine ornatae ad hortorum amœnitatem conferuntur, cum nullos præter ramos frondesque afferant fructus. Neque enim longe dissimilem in aula speciem præferunt elegantes isti, bene capillati, unguentis delibuti & ad omnes officiorum formulas prope facti. In hoc igitur officiorum regno beatam quidem pulchramque vitam sibi ducere videantur. An vero hic demum eorum stultitia immunitatem consequetur? Atqui non modo apud domesticos, sed apud externos quoque, quibus sæpe colloquantur, sæpe agant necesse est, eos crebrius irrideri jocisque notari continget. Nam fieri nullo modo potest, ut in maxima hominum celebritate atque in oculis omnium vivant, nec in viros frequentissime incurrant omni literarum studio ornatos, quos nec risum in se concitandi copiam faciant, nec libere alloqui poterunt, nec silentio dimittere. Quid igitur consilii capient infantissimi homines, ubi nomen atque existimationem suam in tam difficili loco versari videant? Quo ad evitandam hujus-

modi infamiæ labem se tandem vertent? An ultro sese ignaros, stupidos & humanitatis omnes exper-tes esse fateantur? Sed non erit plane, cur id de se fateantur: vel taciti nullo negotio agnoscentur. En quam scite eleganterque nobis ipsos describit & quasi digito demonstrat M. Tullius: homines, inquit, sine sensu, sine sapore, tardi, rudes, elingues.

At vero illiteratum esse nulla sit prorsus infamia, nullum probrum aut ignominia. Quin etiam literarum studia iis relinquuntur, quibus aut nullus nobilitatis sit splendor, aut saltem perexiguum patrimonium. Qui vero claritatem generis atque opes a majoribus suis acceperunt, habent jam unde prospere beateque vivant. Nullam igitur in hac splendida vitæ tranquillitate, etiam si in Urbe vivant, ignorantia suæ pœnam duros esse putatis? Nequaquam profecto. Nisi forte nobis cum aliquo e Stoicorum secta res est, qui nihil eorum, quæ prima mortales putant, curet, seque in eo divitem satis beatumque prædicet, quod astra contempletur. Homines autem, apud quos & ratio & dignitas & existimatio, vel saltem humanitatis aliquis sensus valeat, quo ferent animo, iis Romæ se videre posthabitos, quibuscum vel de generis antiquitate, vel de fumosis majorum suorum imaginibus in contentionem venire pudori sibi maxime ducerent? Atqui ea semper fuit Romanorum Pontificum consuetudo, ut, in largitione magistratuum, præturarum, legationum aliorumque munerum, non tam familiæ, quam sapientiæ rationem potissime haberent. Licet enim

nim non semper in magistratu sit optimus, qui
 in academia fuerit princeps, raro tamen accidit;
 ut cum doctrinae præstantia minime jungatur
 prudentia, gravitas, continentia, iustitia, fides
 aliæque virtutes, quæ quoddam habent cum ea
 commune vinculum & quasi cognatione quadam
 continentur. Præterquam quod cujus optimarum
 artium cognitione careat animus, is qui poterit
 civibus jura describere, quid cuique tribuendum
 sit intelligere, dissidia civitatis componere, futu-
 ra prospicere, & quid in singulis rebus sit optimum
 factu animadvertere? Excusavit valetudinem oculo-
 rum, cum designatus fuisset consul, T. Man-
 lius Torquatus: neque, ut summum imperium
 susciperet, precibus aut ulla alia vi adigi potuit;
 quod rem indignam duceret, ei capita ac fortu-
 nas ceterorum committi, qui alienis oculis indi-
 geret. Cui vero ad omnia alieno iudicio alieno-
 que ore uti necesse sit, eum nos ad ceteros gu-
 bernandos idoneum esse iudicabimus? Quæ qui-
 dem singula in Ecclesiasticis muneribus, aut ma-
 gistratibus haud minus esse attendenda, tam per-
 spicuum omnibus esse arbitror, ut hac in re su-
 pervacaneum sit immorari diutius. Cum itaque
 Romæ non ii digni honoribus esse iudicentur, qui
 genere, nobilitate opibusque maxime præstant,
 sed qui præterea integritate vitæ ac doctrina ad
 eos tanquam per gradus efferuntur; ecquis non
 videat, in hac civitate imperitis hominibus omnem
 ad dignitatem aditum esse interclusum? At enim
 huiusmodi homines forte sua contenti, nec de
 magistratu, nec de prætura solliciti, procul nego-

tiis in otio placidissime acquiescunt, Sic opinor : istæ cnihil curant scilicet. Næ vehementer errant, qui de cupiditate istorum hominum & ambitione tam religiose judicant. Nemo ipsis in quærendo honore ambitiosior, nemo in petitione audacior, nemo in contentione importunior. Nullum enim inscitia propius conjunctiusque solet esse malum, quam arrogantia. Quod revera hinc proficisci crediderim, quod cum notæ istius homines se prorsus ignorent, nec quantum inter viros optimis artibus expositos & aliorum vulgus interfit, comprehendant, secum iniquius agi putant, nisi a Principe ratio sui primum habeatur, ceterisque omnibus in partitione provinciarum præferantur. Ac proinde ex alienæ dignitatis splendore ad offensionem invidiamque commoti clamitant, conquerruntur; quodque suis nequeunt consequi in rempublicam meritis, id vi & clamoribus extorquere conantur. Hoc autem ipsis si bene fausteque eveniret, quæ mala per Deum immortalem rebus cum humanis, tum divinis metuenda non essent? Quandoquidem præreptis doctrinæ præmiis, iisque temere ab ignorantia occupatis, jam de doctrina ipsa, de virtute, tum etiam de religione actum esset omnino. At singulari Dei Opt. Max. beneficio nihil est in præsentia, quod suspicionem nobis hanc moveat. Imo vero certis jam rebus diuturnoque temporis experimento exploratissimum nobis est de voluntate Principis, qui meritorum ratione satis superque perspecta, neminem nisi merentem extollit. Videant itaque, nec sine ingenti dolore videant ignavi isti, Romæ probis & eru-

di-

ditis hominibus aditum ad dignitatem patere amplissimum, seque unos magno cum dedecore atque contemptu repelli. Videant inferioris ordinis homines non modo haud mediocres opes doctrina sibi comparasse, sed ad summos quoque apices ea duce sibimet iter feliciter complanasse: se vero in civitate primarios nulla dignitate ornatos nulloque imperio præditos inter postremos ac despicatissimos agere. Videant denique sapientes magnam ab omnibus inire gratiam, & auctoritate plurimum valere, indoctos vero ubique gentium explodi, apud omnes labe atque ignominia conflagrare. Hæc aliaque plura cum videant, nisi spiritu vitæ careant, omnique sensu destituti sint, tam incredibilem animi dolorem inde capiant necesse est, ut Romæ esse supplicium sibi perpetuum sit multoque gravissimum. Exeant igitur hinc potius, abeant, proficiscantur; seque non minus ab hac molestia, quam Urbem ab istiusmodi coluvie liberent. Neque enim secus ab ægritudine ista vacaturos puto, nisi se procul ab his tectis, foro, templis mœnibusque proripiant; atque eo tandem se conferant, quo nec literarum nomen, nec præstantissimæ hujus civitatis fama pervaserit.

Sed omittamus aliquando inertissimos homines, eosque ignaviæ suæ poenitere, ac magnitudine doloris opprimi relinquamus. Dicendi tamen finem non faciam, quin prius vobis, optimi juvenes, conditionem vestram qua maxima possum voce summopere gratuler. Vosenim jam iter illud ingressos fuisse video, quod ad immortalitatem nominis laudemque sempiternam maxime pervium

esse solet atque expeditum. Neque enim vereor, ne ex hac vestra discendi cupiditate studioque sapientiæ singulari tantum vobis accessurum sit dignitatis, quantum infamiæ ac turpitudinis illiteratis hominibus ex eorum ignavia aspergi solere intellexistis. Pergite itaque, qua cœpistis, animorum alacritate, diligentia atque industria; & frequenter vobiscum in ea Urbe vos esse perpendite, quam quemadmodum virtutis sedem, bonarum artium officinam ac domicilium gloriæ gentes omnes uno consensu confitentur, ita molestissimum in ea ipsa solent supplicium ignavi homines experiri. Ac proinde si vos id, quod maxime debet, pulcherrimæ Urbis hujus majestas ac summa amplitudo delectat, in eam studiorum rationem diligenter incumbite, quæ a laude ac celebritate Romani nominis nihil unquam abhorret. Quamobrem primo sapientissimi Pontificis Clementis XI. summam eruditionem cum singulari virtute conjunctam, deinde ceterorum clarissimorum hominum, qui dignitatem Urbis magna sapientiæ fama sustinent, exempla vobis proponite. Horum labores intueamini, horum de gloria dies noctesque cogitate, & ad eam exæquandam omnes ingenii nervos contendite. Hoc autem quo facilius consequamini, habetis in hoc Romano Archigymnasio publice constitutos eruditissimos homines, qui vobis in hoc itinere duces optimi esse possint: quorum labori quotidiano ac diligentia ut pari respondeatis industria, certe vos non tam oratio mea, quam dignitas vestra nomen atque existimatio cumulatius cohortantur.

Amplissimis XII. Viris

SACRÆ CONSISTORIALIS AULÆ

ADVOCATIS

ET

Archigymnasii Romanæ Sapientiæ

RECTORIBUS,

JOANNI FRANCISCO FAGNANO DECANO.

ALEXANDRO CASALIO.

ANTONIO FELICIANO MONTECATINO.

DESIDERIO SPRETO.

JACOBO SARDINIO.

PROSPERO LAMBERTINO RECTORI DEPUTATO.

FERDINANDO DE VALENTIBUS.

PETRO POMPONIO DE VECCHIS.

CAROLO Mariæ SACRIPANTI.

ANTONIO SERLUPIO.

BONIFACIO SPRETO COADJUT.

* * * * *

* * * * *

PAULINUS A S. JOSEPHO SCHOLARUM PIARUM.

Illustrissimi & Reverendissimi Domini.

CUM ergo semper de amplissimo Collegio vestro tam præclare senserim, quam qui maxime, haud certe mirari debetis, si oratio hæc mea in lucem exeat vestro potissimum nomine commendata. Unde enim mihi præsidium magis firmum contra sermones & voculas malevolorum, quæcunque futuræ sint, quam a singulari vestra sapientia, gravitate, consilio atque auctoritate? Nemo sane quicquam poterit de instituto ipsius orationis detrabere, aut aliqua ex parte reprehendere, quin politam quoque ac latinam scribendi rationem, quam in vobis præ ceteris suspicimus, reprehendat. Ego equidem non ignorabam difficile omnino esse, ut vir sanctissimus Hieronymus ait, senum mutare linguam. Sed argumenti hoc genus iccirco maxime scripsi, ut forensi juventuti consulere, eique stimulos admoverem, ut vix e carceribus prope dicam emissa statim optimo sermoni assuesceret, & quantum fieri possit, ab intolerabili illa dicendi barbarie resili-ret. Id quod etiam in cussa fuit, cur mihi persuaderi potuerit, ut hæc ipsa oratio typis edita pervulgaretur. Nam quod munus Reipublicæ, inquit

quit Cicero lib. 2. de Divin. afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? Dubitari autem vix potest, quin inde consequuturus sit fructus minime pœnitendus, si adolescentes nostræ civitatis vestro perquam sapienti iudicio, tum etiam, quod magis est, exemplo, hoc ipsum orationis propositum probari intelligant. Vos ergo, qui in altiori isto dignitatis gradu collocati juventutem ipsam forensi disciplinæ addictam studio laudis & virtutis inflammare debetis, libentibus gratisque animis argumentum huiusmodi excipite. Quod quidem vim, quam ad suadendum ab ingenii mei tenuitate habere non potuit, longe majorem, ut spero, ab auctoritate vestra obtinebit.

DE FORENSI
LATINITATE
EXPURGANDA.

ORATIO V.

Habita Kalendis Decembris, anno MDCCXVI.

NON ignorabam profecto si de latinæ linguæ barbarie, quæ jampridem forum occupavit, ea libere dixissem, quæ quidem dicenda esse videntur, permultos fore, qui me laboremque meum pro dignitate ipsius fori, tum etiam pro communi nostræ civitatis bono susceptum reprehenderent. Satis enim intelligebam, quod etsi res to-
ta,

ta, de qua agerem, a nemine vocari posset in dubium, eorum tamen, qui impolitam illam scribendi rationem publice defendunt, tantam fere ubique esse frequentiam auctoritatemque, ut si ex adverso stetissem, quasi contra fluvium ire voluisse viderer. Itaque non immerito suspicabar, propter dissipatam adeo in vulgus ea de re opinionem me vim nullam in dicendo esse habiturum; nec profuturum magis, quam si furdis, ut ajunt, scopulis canerem. Illud quoque me vehementer urgebat, vix fieri posse, ut res tam caute moderateque pertractaretur, quin magnam fori subirem invidiam; cum multi hoc ipso argumenti genere quasi actionem quandam in se constitutam fuisse putarent: proinde minime defuturos, qui me nisi temeritatis, at imprudentiæ certe coarguerent, quod ejusmodi genus hominum maxime morosum & irritabile nulla neque privatim, neque publice læsus injuria laceffissem, quorum nec dignitatem ignorare, nec sapientiam aspernari debuerim. Quæ quidem singula quantum me commoverent plurimum, & ne impeditam adeo dicendi provinciam susciperem, etiam atque etiam deterrèrent; vicit tamen omnem sive metum, sive pudorem mihi natura attributum incredibilis animi dolor, quo carere non poteram, cum viderem in hac tanta literarum luce tantaque disciplinarum omnium cultura fere neminem esse, qui de veteri splendore civili scientiæ restituendo cogitaret. Dolebam igitur & acerbe ferebam venerandam legum majestatem non modo ab antiqua illa dignitate descivisse, sed etiam par-

partim hominum imperitorum ignorantia, partim malevolorum pertinacia, partim quoque quorundam culpa, qui populares esse aut videri volunt, in diem ita deprimi, ut pristini vestigium nitore in ea jam plane nullum recognoscas. Quamobrem contemptis, quicumque de me tandem futuri essent, hominum istiusmodi sermonibus, constitui eam hodierno die de stylo forensi orationem habere, unde & lectionum mearum auspiciis esset, & honestissimi juvenes, qui ad amplissimam Juris facultatem in hoc Romanæ Sapientiæ Gymnasio daturi sunt operam, tempestive intelligerent quantum de dignitate fori gloriaque Jurisprudentiæ detrahant, qui in judicialibus causis emendatam scribendi rationem minimi putant. Quocirca etsi non ignoro, me mihi plus oneris, quam revera ferre possim, imposuisse, si non modo rem universam ac penitus, sed ex parte complecti voluero; illud tamen, quod animum relevat meum, est jucundissimus iste hominum sapientissimorum conspectus, ex quorum auctoritate præsidium satis firmum mihi fore confido. Multos enim adesse video tum summo ingenio ac doctrina, tum a forensi usu atque exercitatione maxime commendatos, quibus lutulentam ejusmodi dictionem non solum non probari, sed ab eisdem vix magno cum stomacho eam tollerari certo scio. Quorum quidem judicium, si qua in parte vel orationi meæ robur, vel susceptæ causæ deerit patrocinium, instar teli mihi erit, quo & adversariorum audaciam exultantem reprime-re, & civilis scientiæ dignitatem sustinere conabor.

Ani-

Animadverti autem fore mihi in hac causa cum duplici hominum genere negotium. Quorum alii ea sunt austeritate ingenii, vel odio in optimas disciplinas, ut in foro non aliam omnino dictionem, nisi insuavem illam, rudem ac semilatinam usurpari oportere contendant. Alii vero etsi in ceteris rebus munditia sermonis delectantur plurimum, in causis tamen id aut minus necessarium putant, aut de industria negligunt, ne fortasse deliciares esse videantur. Quibus ut ordine utrisque respondeam; vos primum appello, severi legum interpretes, qui caput in foro neminem extollere posse censetis, qui literarum elegantia studioque bonarum artium teneatur. Quam tandem juris regulam, quam edicta praetorum, aut de Caesarum scripto sanctionem in medium afferetis, qua quidem caveatur, ne quis in jure dicendo utatur verbis propriis, significantibus & ab eorum, qui latine loquuntur, consuetudine non abhorrentibus; Contra ego nullo negotio vobis planum facere potero castitatem sermonis dicendique proprietatem, non modo ab usu forensi alienam non esse, sed summis auctoritatibus diuturnaque temporis praescriptione eam ipsam quodammodo praecipari atque mandari? Nam quis ignorat e quonam fonte ad nos primum defluerit universa Romani juris scientia? Nonne de summa virorum doctissimorum sapientia, qui XII. Tabularum interpretationi ea doctrinae laude praerant, ut eorum domus, ut ait M. Cicero, haberetur veluti totius oraculum civitatis? Imo apud omnes in eam existimationem ac sapien-

pieniæ famam venerant, ut cum a Græcis primo, tum deinde a populo Romano non alio quidem nomine, quam Sapientes appellarentur. Quis igitur sibi persuadeat ejus ordinis homines inde in vulgus tam præclarum nomen fuisse assequutos, quod de jure rusticana ac plane inculta oratione populo responderent? Aliud profecto fuit hominum Græcorum ingenium. Næ amabant illi politam dicendi rationem: oblectabantur maxime suavitate sermonis. Proinde Homerus haud visum iri putavit Nestorem summæ prudentiæ virum, neque Ulfsem maximum imperatorem, nisi singularem utrique in dicendo laudem tribuisset. Quid vero de populo Romano? Cui sane emendatum scribendi genus ita placuisse accepimus, ut quos complures ediderat de Jurisprudencia libros C. Trebatius eques Romanus, homo tum M. Tullii familiaritate, tum etiam C. Cæsaris consuetudine atque amicitia celebratissimus, minimi fecerit, quod non admodum eleganter conscripti fuissent. Neque probavit magis, quæ Q. Ælius Tubero de publico & privato jure acute & subtiliter scripsit, quod nonnihil vetustiora & fere absoleta verba affectaverat. Contra vero quanto honore sunt habiti Publ. Scævola, Q. Mutius, Gallus Aquilius, L. Crassus, Ser. Sulpicius, M. Cicero aliique plurimi, qui ad juris civilis scientiam non modo summam eruditionem, sed etiam verborum delectum mirumque latinæ candorem adjunxerant? An vero quod nobiliori stylo ac ratione minus vulgari scriberent, iccirco aliquid de dignitate juris eos detraxisse quisquam sanæ

fanæ mentis judicavit? Atqui illud de Ser. Sulpicio, ut ceteros missos faciam, proditum est memoriæ, eum latinæ linguæ studium tantopere coluisse, ut quandoque M. Varronem de germana vocabulorum significatione non fecus quam de summo negotio consuleret.

At enim aurea fuerunt ista latinitatis tempora, quibus Romæ non modo curia & forum, sed theatrum, sed balneæ, sed popinæ quoque ipsæ multo sane felicius, quam nos, latine & intelligebant & loquebantur. Neque illos ætatem plurimam, ut nunc nobis usu venit, ad unius linguæ notitiam traducere necesse erat, sed elegantiores dicendi modos de nutricum sinu cum lacte prope ipso accipiebant. Mirum itaque videri non debet, si id temporis, quando scilicet non tam præclarum erat, ut ipse Cicero ait, scire latine, quam turpe nescire, homines summo loco ingenioque ad juris, quod profitebantur, intelligentiam singularem pariter sermonis elegantiam adjungerent. Fac ita esse omnino. Neque enim me longius oratione abduci patiar, ut doceam, non eam omnem, qua illi tantopere præstabant, dicendi laudem ita fuisse natura partam, ut diligentia ac labori locus haudquaquam fuerit. Satis fit quod hac de re Quintilianus copiose ornateque disseruit. Sed antequam respondeam, illud monendos vos esse video, veteres illos, quos nominavi paulo ante, viros eloquentissimos jurisque peritissimos me non iccirco in medio proposuisse, ut ad eorum amplitudinem homines nostros effingerem proxime, aut undique

que conformarem. Illos enim singulos, ut de uno M. Tullio Plinius pronunciavit, extra omnem ingenii aleam positos esse perspicuum est. Sed ut petita a vetustissima juris origine sapientissimorum ejusmodi virorum exempla ostendem occluderent iis, qui palam dictitant forensium hominum a studio & elegantia literarum alienum esse oportere. Age vero, occasum interitumque suum Romanæ linguæ splendor obierit; & aureum illud latinitatis seculum ætas deinde ferro deterior longèque corruptissima consequuta fuerit. Verum in hac ipsa literarum caligine quoniam quæso scribendi genere in judiciis homines usos fuisse putatis? Dicendine rationem puram & emendatam usurpasse, an vitiosam, an sordidam de triviis haustam & plebeculæ mores olentem? Equidem si maturius id, quod res est, perpendamus, facile quidem erit comprehendere, tunc summa dicendi proprietate maximoque verborum ornatu de universo Romanorum jure conscripsisse & Cajos & Paulos & Ulpianos & Papinianos & Tribonianos aliosque complures, qui per eam ætatem, intermorta jam prope omni latini sermonis luce, se forensi operæ addixerant; ut eos certe non mediocris notæ scriptores, sed omni literarum præsidio bene munitos fuisse dubitari nullo modo possit. Quantam enim esse constat venustatem orationis atque elegantiam, quam sane continent Pandectæ, Codices, Institutiones Novelæque Constitutiones, & si quæ alia sunt ab ipsis digesta de universo civili jure volumina? Quamobrem Laurentius Valla Romanorum omnium scri-

scriptorum censor acerrimus, non modo eos censoria illa virgula sua mulctare ausus non fuit, sed etiam libere fatetur, se quidem perlegisse quinquaginta Digestorum libros ex plerisque jure consultorum voluminibus excerptos, & relegisse cum libenter, tum vero quadam cum admiratione. Primum quod nescias, inquit, utrum diligentiane an gravitas, prudentia an æquitas, scientia rerum an omnis dignitas præstet, & majori laude digna esse videatur. Deinde quod hæc ipsa ita in unoquoque illorum omnia egregia sunt & perfecta, ut vehementer dubitari possit, cui quis sit præferendus. His autem nihil est, ait, mea sententia, quod addi adimive posse videatur tam eloquentiæ, quam latinitatis & elegantiae, sine qua cæca omnis doctrina est & illiberalis præsertim in jure civili. Quid planius, quid sapientius, aut quid accomodatius dici poterat ad jugulandam omnino hominum nostrorum audaciam? Quid? negabuntne illos summam in foro laudem fuisse assequutos, vel eo dicendi genere forensis officii muneri non undique satisfecisse? Hoc autem præterquam quod dignitatem eorum ipsorum, quorum isti sese interpretes esse & dici volunt, & quorum auctoritatem in judiciis non minus quam aras & focos tuentur, magnopere offenderet, longe alia certe fuit semper, quam sapientissimus quisque habuit de talibus viris, opinio. Illos quippe clarissima jurisprudentiæ lumina, ornamenta legum, judiciorum propugnacula & humanæ societatis firmamentum appellant Antonius Faber, Balduinus, Cujacius, aliique plures. Imo Bal-

dui-

duinus ipse, homo perquam acri ingenio, nec postrema apud eos, qui in foro versantur, auctoritate, in commentariis suis, quibus institutiones juris ornavit, illud primo loco admonet, ut singularem Dei Opt. Max. providentiam suspiciamus, qui quemadmodum olim eos sempiternæ memoriæ viros Josephum in Ægypto, Danielem in Babylonia, Athenis Periclem, Lacædemone Lycurgum aliosque alibi, ita postea Romæ Papinianum ad conservandam humanam societatem & justitiæ splendorem excitaverit.

At mutata est jam, inquiunt, omnis illa vetus judiciorum ratio. Descivit ab elegantia orationis ad formularum quarundam angustias pompa illa forensis; neque nunc ut olim in subselliis eloquentia dominatur, sed jura. Habeant igitur veluti fundum suum grammatici & verborum censum & opes elegantiarum. Nos quidem non de verbis, sed de patrimoniis, non de nominibus, sed de legatis, de venditione bonorum, de successionebus jure nostro agemus. Illi se politos dicendi magistros de Ciceronis schola evasisse & omnes lepores, Tulliana omnia myrothecia consumpsisse gloriantur. Præclarum satis quid nobis esse videbimur, si multo labore multisque vigiliis contigerit nos haud longissime abesse ab Accursii, a Bartoli, aut Baldi gloria, qui tamen grammaticorum judicio gothice magis quam latine scripserunt. Rerum sane, non verborum nos urgeat oportet sollicitudo. Neque decet caussidicorum sermonem rebus tam gravibus occupatum juncturis & quasi syllabarum numero insistere: unoque

verbo, sic a nobis de jure scribendum, ut nec diligentiori vocabulorum studio judicum torqueantur ingenia; neque sit, qui sensum omnem orationis nostræ liberius & sine artificio excurrentis non probe omnino percipiat. O acutam excusationem! O defensionem singularem! Enimvero id primum libere dico, eos frustra conari præcæra illa Bartolorum ac Baldorum nomina quasi murum nobis opponere, ut ex tam magnis auctoritatibus habeant firmissimum inertiae suæ propugnaculum. Excusant quippe illos tum etiam alios ipsamet tempora, quibus non modo omnis latina lingua interciderat, sed quod magis dolendum, quodque omnes deplorant ejus ætatis historiae, talis pervaserat in omnium animos stupor, talis dementia oblivioque literarum, ut de iis temporibus nihil omnino extet hominum memoria dignum. Quapropter in summis de eo genere viris, qui certe in civili scientia sunt longe omnium principes, si sermo rudis & gothicus, si historiarum literarumque ignorantia deprehendatur, condonanda profecto sunt illis pro temporis ipsius ratione: cum præsertim istiusmodi errores pura exactaque Romani juris notitia, quam diu sepultam nobis immenso labore restituerunt, cumulatissime compensaverint. Quænam itaque, malum, est ista amentia in tanta nunc literarum luce gothicam ejus seculi barbariem pugnacissime tueri velle, quam revera Bartolus ipse si revivifceret, jam omnino detestaretur summoque studio expurgaret? Et sane quid est, quod teterrimum illud loquendi genus minime sibi retinendum fore

re putaverint quotquot proxime consequenti a-
 te pari iudicio, acumine ingenii & singulari in-
 dustria de civili jure scripsere? Imo vero quid
 purius, quid luculentius, quid suavius ea oratio-
 ne, qua quidem usi sunt viri illi civilis scientiæ
 consultissimi, Alciatus, Pancirollus, Goveanus,
 Cujacius, Budæus, Duarenus, Tiraquellus, Con-
 tius, Hotomannus, Brissonius aliique complures,
 qui ad jus Romanum exornandum tantam lite-
 rarum ubertatem attulerunt, ut ex eorum vigi-
 liis maximum eidem accesserit ornamentum? In
 hos profecto solertissimos & quasi majorum gen-
 tium doctores intueri, hos sibi duces proponere
 homines nostri deberent; non autem ignaviæ suæ
 ab eo præsidium quærere, quod temporum potius
 quam hominum culpæ tribuendum esse videtur.

At multo vehementius commovet me, quod
 ajunt, in foro non verborum, sed rerum haben-
 dam esse sollicitudinem. Itane nos amentes, aut
 imperitos judicant, ut minime intelligamus qua-
 lis rerum, qualis verborum debeat apud ipsos
 esse sollicitudo? Non æqualem utramque conten-
 do. At nego alterutram posse negligi. Cum e-
 nim omne jus aut in verborum interpretatione,
 aut æqui pravique discrimine positum sit, quo-
 tus quisque non videt, quantum momenti habeat
 verborum sensus & optima vocum ipsarum intel-
 ligentia? Sunt tibi res pecuniæque nostræ curæ
 atque sollicitudini. Esto: at voces, quibus res
 ipsæ continentur, earumque sunt indices, minimi
 putas? Non illum ego mehercule optimum sta-
 tuerim imperatorem, cui sane certamina, aut ob-

fessio murorum maxime cordi essent, interea ve-
 ro nulla de comæatu, nulla de delectu mili-
 tum cura teneretur. Quoties autem præpostere
 concepta verba impedimento sunt, quo minus
 difficillimæ quæstionis nodus præcidatur, quæ diu
 & altercantium fortunas & judicum ingenia tor-
 sit? Dicit aliquis: huic etiam incommodo bene
 ac sapienter majores nostri consuluerunt. Com-
 plura per eorum manus volumina accepimus, in
 quibus singula, quæ propria sunt juris, vocabula
 enucleate distincteque adnotarunt. Ex his statim
 intelligas, quid peculium, quid tutela, quid fa-
 milia, quid usucapio & hujus generis alia fere
 infinita. Habeant itaque sibi suas grammatici vo-
 ces, suas ad cælum efferant etymologias, non
 hercle invidemus. Homines, ut video, acuti rem
 plane confectam putant. Non ita tamen olim
 sapientiores illi legum interpretes de hoc negotio
 judicarunt. Præstantiorem longe aliam de mini-
 mo isto grammaticorum regno opinionem habe-
 bant. Quandoquidem non ea duntaxat, quæ ad
 jus civile pertinerent, vocabula explorari oportere
 censebant, sed crebras quoque inter se quæstio-
 nes de proprietate latinarum vocum earumque
 primæva significatione agitabant. Hinc ab iisdem
 mira quadam ingenii subtilitate quæsitum, quid
 vitium differret & morbus, quid hostis apud ve-
 teres significaret, quid manubiæ, quid fundus,
 quid municipium aliaque fere innumera, quæ cum
 ab A. Gellio, tum ab Andrea Alciato & Gu-
 lielmo Budæo elegantissime recensentur. Ex hu-
 jusmodi enim noticia futurum fuisse putabant, ut

Romano juri & lumen & ornamentum accederet. Atqui relicta vulgi barbarie, si politum dicendi genus prosequeremur, paucissimi jam nostra intelligerent. Quid si ad forensem usum non contortam & acrem orationem postulo, quæ Tullianam amplitudinem exprimat, aut nervosam Salustii brevitatem, nec quæ Taciti aculeos emitat; talem vero, ut accurata tametsi & distincta, plana tamen, inaffectata, æquabilis & sine fastu fluat? Estne quisquam tam plumbeus, aut sic ab humano sensu alienus, qui lectionem hujusmodi non longe facilius perciperet, quam indigestam illam, confusam, desultoriam aut etiam, si Diis placet, solœcismis compluribus aspersam? Quæ quidem quam absurda plerunque sit, vel illud argumento esse poterit, ingenuos quosdam, quos ego novi, optimo ingenio adolescentes, qui legum facultati summa spe ac voluntate nomen dederant, haud multo post perterrefactos ab ipsis barbarorum castris aufugisse. Cum enim, ut mihi narrabant, Ciceronis, Cæsaris, Terentii aliorumque his similibus libris ab ineunte fere ætate educati, latinitatis illius candore ac perspicuitate mirum in modum tenerentur, tam inconditas deinde atque horridas caussidicorum ductorum suorum voces diutius ferre minime potuerant: ad quas sane intelligendas novam sibi, ut dicebant, grammaticam, novos commentarios conquirere necesse erat. At nemini sese obscuros in dicendo fieri velle dicunt. Optime est. Cur tamen ea pariunt verborum monstra; quæ necessario rebus obscuritatem, non lumen afferant? Illud potius

nobis persuadeant, se operam dare, ut extra forum a nemine queant intelligi, haud valde dissentiam. Possem equidem hoc loco forensam aliquam ex ista scoria paginam in medium afferre, quæ plus nimio fortassis orationi meæ fidem faceret. Sed cum diebus singulis in omnium ferme oculis scriptiones de hoc genere versentur, non est, cur rem ipsam, quæ nonnihil invidiæ & offensionis habere videtur, verbis pluribus agam. Venio itaque ad argumentum officiorum & observantiæ plenum. Verentur nimirum ne elegantius scribendo iudices, homines quidem plurimum occupatos, molestia afficiant. Proh Deum immortalem, ubinam gentium sumus, ut indicem talis stultitiæ vocem audiamus? Elegantiæ sermonis satietatem affert, quisquiliæ vero delicias & voluptatem? Delectat, credo, iudices ipsos ficitas illa & puerilis quædam dicendi insulitas, in qua cum prope nihil existat, quod non obscurum, aut alienissimo loco sit positum, necesse est plane de auctoris sententia divinare. Delectat ipsos videlicet oratio non simplici puroque stylo composita, sed verbosa, sed tumultuaria, sed levis minimisque rebus redundans. En quam præclare sentiant de ingenio studiisque ipsorum iudicum hominum sapientissimorum, quos quidem aut in literis hospites omnino iudicant, aut sic in illas infestos, ut teterrimum verborum pædorem sincera electaque dictione jucundiorē ipsis fore arbitrentur. Percommode tamen in eos cadit iniqua ejusmodi opinio atque injuria. Haud immerito luunt (dicam magis aperte id, quod sen-

fentio) indulgentiæ suæ pœnas . Nam quoties sibi illepida ista ac perturbata afferuntur, ad quorum ambages expediendas est non minus quam labyrinthum Cretensem ingressis laborandum, quid est per Deum immortalem quod eadem omnino ab se non rejiciant, & ad Orbilii ferulam tam malos grammaticos non dimittant?

At quærunt quo pacto fieri possit, ut id temporis aliter in foro quis scribat; cum talis scribendi ratio sit jam omnium usitatissima, cum ubique consuetudinis jus quoddam obtineat, cum postremo non secus hodie plerique omnes faciant. *Mente jam recreor, quod aliquid tandem in medium attulerint, quod non leve omnino videatur. Excusandi sunt plane: communi quodam usu & necessitate peccant, non animo ac voluntate. Inurbane scilicet impoliteque scribunt, quia nesciunt elegantius. Parcius autem vellem nobis de consuetudine verba facerent. Quis enim est tam mediocriter in re forensi versatus, qui non intelligat, quam tenue sit & infirmum, quod ab ipsa consuetudine petitur, argumentum? Multa sane convenient necesse est, ut aliquid illa valeat. Quod si forte fuerit varietate temporum interrupta, neque apud omnes ita recepta, quin in contrariam quoque partem adversentur multa, vim habet tum mehercule nullam. Cum itaque juris scientia ab ipsa originis suæ vetustate fuerit semper, ut satis jam vidimus, cum omni literarum genere conjunctissima: cumque extiterint viri gravissimi atque omni laude digni, qui vix reversis possibilibus optimis disciplinis in expurgan-*

do statim, ornandoque Romano jure magnopere defudarunt, cum denique per hanc ætatem videamus, quod in hac ipsa Urbe homines summo ingenio & gravitate præditi humanitatis studia ad legum exercitationem adhibent; frustra nobis usum gentium communem objiciunt, & consuetudinem istam antiquitate venerandam tantopere prædicant. Sed plerique non longe secus scribunt. O præclaram defensionem! Quid? multitudinis exemplum, quod quidem Seneca omnium pessimum pronuntiavit argumentum, præsidio sibi esse volunt? Enimvero indigna semper visa fuit optimo quoquæ viro vox istiusmodi atque consilium. Ponderanda sunt hominum judicia, non autem numeranda. Esto pauci sint per hos dies, qui literarum latinarum studium ad forenses usum traducant: nonne horum paucissimorum judicium, virtus, gravitas & sapientia pluris apud te esse debent, quam ceterorum omnium plurimorum barbaries atque infantia? Neque enim negare quis poterit, quin hi pauci multorum sint instar imperatorum, qui primos in foro ordines ducunt: cum ad ipsos gravissima quæque causæ deferatur, cumque hi ceteris non modo scientia præluceant, sed ingenii quoque fama omnium maxime floreat. Quæ cum ita se habeant, quis æquo animo ferre possit legulejos illos, homines infantissimos, qui cum omne literaturæ genus nihili prorsus faciant, præterquam quod poetas, oratores, philosophos, mathematicos tanquam viles animas & inutile terræ pondus contemnunt, eos præterea derident sapientissimos viros, qui de jure venuste latineque
scri-

scribunt, quasi in foro desiperent, quod non barbari, quod non illorum similes esse studeant? Hos itaque festivi isti & arguti appellare per risum & jocum audent homines Ciceronianos, aut sesquipedalium verborum consectorum, aut etiam, quod multo indignissimum est, levia ac ventosa capita, quæ haud satis ratione consistunt. Ita profecto ipse ego viro in hac nostra civitate tum juris doctrina & literarum humaniorum elegantia, tum etiam librorum editorum gloria clarissimo ab aliquo nescio quo e nugatoribus istiusmodi illudi atque obrectari, multis de foro plausu comprobantibus, vidi. Nequiorne impudentia excogitari potest, quam quod ab ipsismet literarum ornamentis, quæ maxime commendare deberent, occasionem arripiant homines gravissimos contemnendi atque irridendi? Sed in hac parte aliquo pacto fortasse excusari possunt. Nauseant facile stulti id, quod ignorant; utque putentur sapere, coelum ipsum, ut Phædrus ait, vituperant. Quod vero longe gravissimum, quodque nullo modo ferendum esse videtur, illud sane est, quod adolescentes optimo ingenio & a musis minime alienos abducant ab amore studioque literarum, & quantum fieri potest, distrahant. Qua quidem in re quis summam istorum fraudem malitiamque non videat? Conantur porro in ceteris ea ipsa virtutis semina elidere, quorum uberes fructus sterilitati suæ probro aliquando fore extimescunt. Omnes incultos, omnes balbos, omnes gregis sui simillimos esse cupiunt. Quocirca vulpeculæ illius calliditatem haud inscite imitari videntur, quæ,

quæ, ut in fabulis est, quo caudæ sibi interceptæ dedecus alieno cohonestaret exemplo, ceteras quoque vulpes enixe cohortabatur, ut eam pariter sibi abscinderent; quippe quæ usui non esset, sed oneri. Ita fere solent homines isti fallaci quadam benevolentia specie adolescentium animos nondum satis consilio & ratione firmatos aggredi, & sæpe dignitatem fori, quod quidem minime reprehendo, ad cælum extollere, sæpe de literarum studiis declamare tanquam de re non modo nihili prorsus faciendæ, sed quæ etiam fortunam hominum forensium deprimat. Nugas ergo distant literas esse & delectamenta puerorum: Philosophiam vero, astrorum notitiam, Geographiam ceterasque ejus ordinis disciplinas otiosi hominis occupationem: omnia denique isthæc supervacanea ac leviora ab eo repudiari oportere atque contemni, qui aliquando familiam in jure & legibus velit ducere & foro supra ceteros dominari. Itane vero? Fieri non potest, ut quis evadat magni nominis jureconsultus, nisi musis, nisi elegantioribus studiis valere jussis, incultam, cæcam ac rerum pene omnium ignoratione miserriam vitam traduxerit? O nequitiam hominum plane veteratoriam! Adeone sibi persuadent posse per summam fraudem amoliri ea, quibus ipsi carerent, bonarum artium ornamenta, unde Italiae dignitas, unde nostræ civitatis splendor, unde Christianæ religionis præsidium & firmamentum constituitur? Verum enimvero errant, vehementer errant, si in hac Urbe, per antiquo optimarum artium domicilio, per hos cuniculos efficere ali-

aliquid posse putant . Habent enim adolescentes nostri plurimos, quos Romæ intueantur, clarissimos viros cum juris, tum omni literarum genere ornatos, quorum iudicio atque auctoritate perverfas istiusmodi opiniones omnino refutari videant . Habent Pontificem Maximum ante oculos, virum sane literatissimum, cui difficillima Christianæ reipublicæ tempora impedimento non sunt, quo minus honestissimas disciplinas in diem amplificet, & quam maxime potest, illustret . Habent denique saxa hæc ipsa & parietes, qui veteris doctrinæ gloriam adhuc spirantes, hominum tam desipientium vocibus prope reclamitant . Quibus sane lapidibus utinam vis inesset exulcerata istorum hominum capita ad sanitatem revocandi, aut saltem sic deterrendi, ut sese tandem silentio contineant : quemadmodum inepto illi apud Petronium versificatori Eumolpo contigisse dicitur .

Sed longius fortasse, quam par erat, dicendo provecti sumus . Tempori jam consulendum, cuius finibus reliquam orationis partem ita circumscribi sentio, ut eam breviter & quasi summatim percurrere necesse sit . Quanquam & hoc satis commode cadit : neque enim cum tardis & conclamatis ingeniis erit nobis deinceps laborandum, aut cum iis, qui literas e civitate exturbare conentur atque in exilium ejicere ; sed cum honestissimis viris, in quibus cum dignitate forensi conjunctum est maxime omne liberalium artium decus & ornamentum . Delectantur hi plurimum, ut antea dixi, candore latinitatis, amant purum scri-

scribendi genus; quod tamen in judiciali sermone, nescio qua consuetudine, aut opinione ducti, negligunt. Quocirca hi mea quidem sententia longe gravius peccant, quo major est in foro eorum ipsorum auctoritas: cum aliis dare videantur ansas ad forensis munditiam orationis jure aliquo reprehendendam. Sed hoc omitto. Quid autem est, quod ipsi tam humiliter demisseque sentiant de dignitate Jurisprudentiæ, ut deteriori eam loco ac ceteras facultates esse velint? Quis enim populus, quæ gens, quæ hominum natio memoria nostra est adeo inculta atque omnis humanitatis tam expers, ut non exhorrescat ac magno opere detestetur sceditatem illam dictionis, quæ ab ætate ac moribus barbarorum veluti tabes quædam mortifera defluens, in singulas quidem scientias invaserat? Hinc proinde fit, ut jam transalpinae gentes, tum etiam Italia fere universa de Dialectica, de Philosophia, de Geometria, de Medicina ceterisque iis bonis artibus libros scribat luculenter & singulari quadam proprietate sermonis. Quod igitur communiter in omnibus aliis facultatibus turpe ac vituperatione dignum esse censetur, id in jure civili non inhonestum esse videatur? At, peculiare sunt aliquæ juris formulæ, quæ etsi cum castitate latinitatis maxime pugnant, nullo tamen modo dimitti possunt, aut immutari. Quasi vero id non sit facultatis cuiusque proprium, ut quibusdam certis unaquæque utatur vocabulis, & suis quodammodo loquatur vocibus. Sunt enim non solum cujuslibet linguæ, verum etiam artium singularum propria quædam,

ut

ut ita loquar, idiomata . Habet suas Dialectica voces, habet Geometria, habet quidem Medici-
na . Cum itaque abunde satis fuerit jam usu at-
que experientia comprobatum, liberalissimasejus-
modi disciplinas ab elegantia latini sermonis non
abhorrere ; dubitabitne, quin pari splendore or-
natuque verborum de Romano jure valeat dispu-
tari ? Quanquam ego nunquam in eorum senten-
tia fui , qui si quod verbum ab antiquis minime
usurpatum offenderint , aut quod a Cicerone ipso,
aut a Cæsare, seu primo quovis alio ejus ætatis
scriptore non fuerit Romana civitate donatum ,
stomachantur statim , fastidiosaque librum depo-
nentes, clamitant auctori diem violatæ latinis
esse dicendam . In hoc autem isti meo quidem
judicio faciunt & arroganter & imperite . Quis
enim non videat , quod rebus novis inventis ,
plura quoque nova vocabula inducere necesse fue-
rit ? Quæ tametsi olim minime recepta ac pror-
sus inusitata, tamen haud iccirco nunc minus la-
tina, aut barbara censerī debent : cum jamprī-
dem ab ipso hominum doctissimorum consensu au-
thoritatem & jus quodammodo antiquitatis obri-
nuisse videantur . Quamobrem elocutionem foren-
sem non puris putis aurei seculi reliquiis usque
adeo conflata volo , ut quamlibet vocem non
ea ætate natam proscribendam fore judicem : sed
mihi satis erit, quod ipsa verbis propriis constet
iisque dicendi modis, quos usus literatorum pro-
barit : quod perturbata constructione non obscu-
retur, quod temperata sit numeris, quod deni-
que suavis & quadam cum lenitate profluat .

Et-

Etiamne hic homines isti delicatiores cunctantur? Adhucne animis & cogitatione hæsitant? Quid vero si stylum gravibus verbis ac sapientissimis sententiis ornatum postulassem, quali usum fuisse videmus Franciscum Hotomannum, aut immortalis memoriæ virum Jacobum Cujacium, aut Annæum Robertum aliosque clarissimos superiorum temporum jureconsultos? Insigniter jam splendideque hoc tempore quæstiones suas expediunt plerique medici atque philosophi, de jure autem ac legibus nisi inornate, nisi incondite driterque disceptari non poterit?

At nobis ab maxima negotia tantum otii non suppetit. Nemini sane dubium esse potest, quin, forensis vitæ genus plenum sit curarum, plenum laboris. Tot enim sunt juris anfractus, tot latebræ, tot veritatis oppugnandæ cuniculi, ut quemadmodum bella gerentibus & adeundi sunt asperi colles & munitissimæ civitates expugnandæ apertoque sæpius campo totis viribus decertandum; sic etiam, qui in judiciorum castris versantur, non certaminis unius incommoda, sed multa & gravissima & quotidiana subeant oportet. Quamobrem magnus ille fori ductor & quasi signifer M. Tullius, qui per summos labores in acie illa forensi plures unus victorias, quam ceteri pugnas, numeraverat, illud toties monet, præsertim vero in Orat. pro M. Cælio, in isto scilicet vitæ genere omnes omittendas esse voluptates, relinquenda studia delectationis, ludum, jocum, convivium ac sermonem pene familiarium deferendum. Itaque si homines nostri tam magna

gna ingenii contentione tantoque animi impetu ad fori negotia incumbant, ut omnibus sibi voluptatibus, omnibus ludis interdictis, vix spiritum & vitam ducant: concedenda quidem est ipsis aliqua sermonis incuria: neque valde curantur, si non accurate eleganterque scribant. Sin autem tam multis negotiis occupati, totque causis susceptis: quanquam nolo hac de re curiosius inquirere. Esto per nullam parvam moram eisdem liceat esse otiosis, imo vero semper occupatissimi vivant; an condonanda erit iccirco ipsis levitas illa, ne dicam insania orationis? Quæ tanta eosdem quæso necessitas impulit, ut plures reciperent causas, quam dicere accurate possint & cum dignitate sustinere? An lucri cupiditas? At si majorem vim apud eos pecunia habeat, quam nominis fama, aut existimatio fori, quid est mediusfidius, quod a talibus hominibus metuere non debeamus? Quod facinus, quod scelus ab eorum manibus abesse poterit? Certe si extra contentionem ratio mihi habenda esset cum iis, qui hoc pacto utilitatem honestati anteponendam esse arbitrantur, illud primum ab ipsis quærerem, utrumne per eam scribendi socordiam e re sua sese facere putent? At enim diligentius scribendo multo pauciores causas expediremus. Sit sane ita. Num quis ignorat, adamantem quanvis unum & perexiguum, saxi tamen multis & ingentibus longe pretio atque æstimatione antecellere? Haud valde sapit, qui vel unam aurimassam compluribus ferramentis pretiosior esse non judicet. Rem planius agam. Longissime quidem
a pro-

a proposito aberrant, dum sibi persuadent, ab iis quæstus non uberrimos fieri, qui pure emendateque causas dicunt. Hi profecto clarissimi solis instar usque adeo foro prælucent, ut omnium oculos ad se convertant; aut imperatorum fortissimorum similes esse videntur, quorum consilium in consultationibus, quorum sapientia in iudiciis, auctoritas in subselliis maxime dominetur. Equidem incredibile dictu est, quam magnum nomen afferat vel unius causæ patrocinium ex ipsis studiis humanitatis splendide & luculenter pertractatum; ut proinde mirum esse non debeat, si haud raro videamus in foro homines adolescentes iis palmam præripuisse, qui in iudiciis diu versati prope inter subsellia consenuerant. Nam oratio est quoddam animi nostri speculum, in quo non adumbratam modo, sed etiam veluti expressam humanæ sapientiæ imaginem intuemur. Hinc accepimus Socratem, hominem sane sapientem, ad explorandum suorum ingenium penitusque inspicendum, aliud nihil ab illis postulare consuevisse, quam quod loquerentur. Vix enim fieri potest, ut certum quoddam sapientiæ, aut stultitiæ intus latentis vestigium non ex ipsamet oratione foras erumpat atque appareat. Junitas enim illa elocutionis misera atque insulsa indicio haud obscuro esse solet levioris animi, sive hominis si non ætate, at certe iudicio adolescentis. Quapropter Horatius in præclara illa ad Pisones epistola statuit, ibi duntaxat reperiendum iri recte scribendi & principium & fontem, ubi existeret mens & sapientia. Cum igitur proprie-

tam obscure scribant, ut Chrysippum illum æmulari videantur, cujus integrum volumen ambiguis oraculis ac flexilouis ambagibus sic refertum dicitur, ut ad illud enodandum novo semper opus esset interprete. Nam quod Cicero olim semel ingenii solertia, vel malitia potius in Cluentiana causa se fecisse gloriatus est, obscurasse videlicet dicendo iudicum mentes: illi quotidie ignorantia faciunt, quod se nempe dictio nitida ac sincera deficiat, qua animi sensus & cogitationes suas explicare commode valeant. Cum enim ex Aristotele prima eloquentiæ virtus sit elucutio pura ac venusta, quæ facit, ut oratio nihil barbarum, nihil insolens, aut peregrinum habeat, sed omnia singularum vocum elegantia earumque structura & collocatione optime inter se cohæreant; non video quo pacto queant luculenter scribere, qui elocutionis ipsius vim & præcepta prorsus ignorant. Hinc barbaræ illæ & nunquam apud Latinos auditæ locutiones, quibus quasi quodam humanitatis sale homines plane insulsi scriptiones suas condire sibi videntur. Quæ ut percipiantur, non satis est habere præ oculis glossaria universa, quæ de barbaris vocibus magno studio collegerunt Fridericus Lindebrogius, Henricus Spelmanus, Gothofredus Wendelinus, Gerh. Jo: Vossius, Carolus de Frene aliique plures. Unde vero istiusmodi cenum ac sordes homines festivi colligere poterunt? An ex purissimis veterum Jureconsultorum monumentis? An ex ipsis Justiniani institutis? An ex codice Theodosiano? Credo fortasse ex Novellis, ex Authenticis, aut Pandectis. Quam

vellem clarissima ejusmodi exempla sibi ob oculos ponerent. Id quod superiori ætate summa laude fecerunt Guilielmus Budæus, Antonius Faber, Jacobus Cujacius, Franciscus Balduinus, Jacobus Gothofredus, Franciscus Duarenus aliique sapientissimi viri, qui cum civili scientia elegantiores literas & eloquentiam optime conjunxerunt. Quorum profecto volumina eam redolent scribendi castitatem atque elegantiam, ut si forte quæ de rhetorica facultate Aristoteles; aut quos de Oratore libros Cicero memoriæ prodidit, nobis fato aliquo interiissent, ex ipsis mehercule eloquentissimis viris haberemus unde suppleri possent eloquentiæ præcepta & omnis dicendi venustas. Cur ergo quos habent duces & optimos scribendi magistros pressò pede non insequuntur? Cur singularis eorum sapientiæ vestigiis non insistent? Pudetne sequi Fabros & Cujacios; barbaros vero & imperitos, qui eruditorum omnium convicio vapulant, sequi non pudet?

At enim jureconfulti, quos mihi prædicas, sapientes quidem ac disertis, non e foro, sed ex Academiæ spatiis extiterunt. Versabantur illi in eruditorum umbraculis ac Licei otio, ubi satis commode potuerunt jus, de quo quasi domestica exercitatione in gymnasiis disceptabant, aspergere doctrinæ floribus & eloquentiæ pigmentis colorare. Nobis autem quotidie descendendum in medium agmen, in pulverem, in clamorem atque aciem forensis, ubi sane non pulchre cultis & affabre elaboratis, sed bene solidis armis pugnandum est. O præclaram pugnam! O certamen cruentum!

in quo, ut video, adversarii suis se miserrime telis confodiunt. Etenim satis intelligo, magnum interesse discrimen inter sapientissimos viros, quos causa honoris paulo ante nominavi & homines nostros, qui hodie in foro cum aliqua nominis fama versantur. Enimvero duo sunt omnino, in quibus eorum eloquentiam imitari & ad illam proxime accedere e præsentis more usuque fore tenentur: in scribendo scilicet & causam ad iudices referendo. Ad utrumque hoc munus certe ingenium humanitatis studiis perpolitum & dicendi exercitatione bene subactum deposci, quis non intelligit? Ut proinde ex immutato pristino iudiciorum statu, unde eloquentiam foro eiectionem plerique argumentari solent, ego contra pro hac ipsa, qua nunc utimur, forensi consuetudine, maximam ipsius eloquentiæ necessitatem statui debere contendo. Nam agebantur olim causæ summo apparatu maximoque splendore. Victoriæ sibi magna ex parte vindicabant tum patroni eloquentia, tum populi Romani studium, qui iudiciis maxima frequentia adesse & æquitatis patrocinium quodammodo arripere solebat. Huc accedebat ejus, de quo erat jure decernendum, præsentia atque aspectus; uxoris lacrymæ, gemitus filiorum, amicorum officia & preces, spectata erga Rempubl. merita, postremo iudicum pietas & commiseratio. Quid vero perorantis vox atque actio? Quæ profecto sic valet ad mentes hominum permovendas, ut fama sit Demosthenem ei primas, eidem secundas ac tertias tribuisse. Certe Cicero hanc ipsam unam in dicendo

maxime dominari affirmabat . Cum igitur hæc omnia jam e foro desciverint , quid aliud misero clienti ad salutem remanet præter unam scriptionem juris quasi naufragii tabulam ? Quæ quidem si obscura , ut difficilis sit explicatu ; si jejuna atque agreffis , ut legenti nausea fiat , nonne de omni causa actum esse dicemus ? Continentur nunc tota quanta est causarum actio unius hominis diligentia atque industria : qui nisi in scribendo singula ad rem pertinentia in bono lumine collocaverit ; nisi facti & juris nervos artusque optime disposuerit , verendum est sane , ne ejusmodi causa non præclaros exitus habeat . Et negare quis poterit non majorem nunc , quam olim in foro oratoriarum facultatis usum esse ac plane necessitatem ?

Alterum vero , in quo eloquentiarum studium , ut dixi , nostris hæc temporibus homini forensi majorem in modum necessarium esse judico , est nimirum causam ad iudices referendi consuetudo . Qua quidem in re mirum quantum valeat dicendi venustas & eloquentiarum præsidium . Etenim sive latino sermone , sive domestica atque vernacula lingua (eodem quippe res recidit) id fiat , talis quidem esse debet doctoris industria , ut verbis quam paucissimis rem doceat , persuadeat , flectat & jam quodammodo vincat . Quod negotium permagnum sane atque arduum qui suscipit , non temere & casu , sed meditato & ex arte dicat necesse est ; ea videlicet perspicuitate , ut rem omnem aperiat atque illustret ; iis verbis puris atque electis ; ut si dicendo non de-

le-

lectet, at certe animos non offendat; ea denique brevitate orationis, ut iudices, homines vel maxime occupati, longo dicendi ambitu minus defatigentur, argumenti tamen vis tota eorum mentibus hæreat penitus atque insideat. Has autem singulas oratoris partes qui non satis apte accurateque expleverit, hunc profecto muneri suo deesse iudico; & nihil dubito, quin is causa, etsi optima illa sit, turpiter cadat. Quod si nonnulli naturali quadam dicendi copia, nullo adhibito studio, id satis præstant; hoc præterquam quod non est multis natura datum, sed quasi privilegium & singulare paucorum donum; id præterea eloquentiam fori non amolitur, sed ejus necessitatem luculento admodum hoc ipso exemplo confirmat. Huc quoque accedit, orationis vim ejusmodi insitam & a natura profectam tautologiis plerunque aliisque sermonis scatere vitiis, quæ nisi ars dicendi opportune amputaverit, ea offendit plurimum ac molestissima esse solet.

Supereft jam, ut quam brevissime eorum refutemus errorem, qui etsi studia hæc nostra vituperare non audent, imo ea palam laudant atque extollunt, negant tamen posse fieri, ut unus idemque homo simul præstet & dicendi genere & civilis scientiæ doctrina; cum res utraque magnam vim ingenii, multas vigilias maximoque procul dubio labores requirat: nisi forte velit vel paucissimas causas suscipere & per raro ad forum accedere, vel quod longe deterius est, in jure discutiendo segnior ac remissior

videri. Profecto homines isti si hæc de se sui-
que ingenii imbecillitate loquantur, bene habet;
non repugno. Norunt ipsi, ut poeta inquit,
quam sibi curta supellex. At vero si ex suis vi-
ribus alios æstimare atque omnes ex ingenii sui
modulo metiri velint, ferendi nullo modo sunt,
imo graviter reprehendendi. Nam quæ, malum,
amentia est ista, quod se præstare posse diffi-
dunt, id universe ab nemine alio fieri posse
contendere? Quis æquo animo ferat homines
imperitos, qui eloquentiam ne de facie quidem
noverint, quique, ut lepide Budæus ait, albane,
an atra sit, dijudicare nequeant, negare tamen
pugnacissime, ipsam cum jure civili posse con-
jungi, quo cum conjunctissima semper fuit? At
magno opus est ad eloquentiam ingenio, magno
conatu, summis viribus. Esto: concedatur qui-
dem difficillima esse, quæ pulchra; & admodum
ardua, quæ optima. Verum si id quod est fate-
ri volumus, ejusmodi labor iis plane summus ac
prope intolerabilis, qui cruda adhuc studia ad
forum attulerint, & humanioribus literis vix le-
viter informati ad juris lauream aspiraverint.
Qui vero ex humanitatis studiis solidam sibi e-
ruditionem præoccupaverint & apparatus elocu-
tionis uberem satis & luculentum tempestive col-
legerint, næ ego amens, si in caussis defenden-
dis herculeo isto sudore manaverint. Imo nullus
dubito, quin ipsi prompte atque expedite de
jure scribant, quemadmodum in ceteris argumen-
tis hominibus in iis studiis exercitatis usuvenit.

Sed plura jam fortasse, quam volebam, de re
mi-

minime obscura. Quis enim non videt, istorum opinionem satis superque refutari exemplo domesticorum complurium clarissimorum virorum, qui in hac ipsa civitate a pueritia hoc consilium sequuti disputationes forenses cum expedite, tum ornate ac docte pertractant, ut non minus eloquentiæ vi, quam juris telo pugnare, ac vincere videantur. Horum sane auctoritas in hac Urbe quam maxime invaluit, non quod juris scientia ceteris longe præstent, ut sibi falso persuadent plurimi, sed quod dicendi copia & facultate ceteros antecellant. Quo fit, ut ipsos magna clientum caterva stipatos huc illuc quotidie volitare videamus & pecunias & opes & amicitias sibi præclaras comparare. Possent hic multos nominatim proferre ex iis, qui hodie in foro familiam ducunt, quique hoc industriæ genere ceteros sui æquales longo post se intervallo reliquerunt. At nolo aliquem nominare, ne aut cuiquam adulari, aut si non omnes, ut par est, laudavero, debita laudatione quemquam fraudasse videar. Sed præstat id tacitis vestris cogitationibus existimandum relinquere, de quibus hanc tantam laudem intelligi cupiam. Neque enim facile latere possunt, si velint; cum sint in oculis totius civitatis, atque eorum fama omnium sermone celebretur. Horum dignitate atque opibus mirum profecto, alios ad hæc ipsa studia non incitari atque accendi: quemadmodum fama est, Miltiadis trophæa Themistoclis animum ita inflammasse, ut vel quiescentem e somno excitare solerent. Atqui isti duro ore possunt

quotidie non unius, sed multorum præclaras in foro victorias & trophæa oscitantes intueri. O singularem stuporem! O stultitiam incredibilem!

At magnam quidem vim esse in fortuna aliqui putant, & inanis ejusdem numinis arbitrio illud fieri, ut aliquando etiam in foro primos ordines ducant, qui eorum opinione inter gregarios milites deberent incedere. Alii vero ingenio, ut sibi persuadent, altiores cælum ipsum, ut poeta inquit, stultitia petunt, & arcanas nefcio quas siderum coitiones ariolantes, clarissimorum virorum præstantiam non labore atque industria, sed stellarum benignitate derivari & quodammodo donari volunt. At mehercule illi non minus quam fortuna ipsa cæci esse videntur, quod non videant, sapientia & consilio fieri, quod ipsi casu contingere putant: hi vero malitiosi atque improbi, quod ad ignaviam suam excusandam de summorum virorum gloria plurimum detrahant, astrorum virtuti & efficacitati tribuentes, quod illi revera sibimet bonarum artium studio multis vigiliis maximisque laboribus compararunt.

Quæ cum ita se habeant, ecquis est, qui non intelligat, quam utile, quam fructuosum, unoque verbo quam necessarium sit eloquentiæ studium iis, qui id temporis in foro aliqua cum laude versari volunt? Non ejecta est, non exulavit foro, ut barbari homines obloquuntur, amplissima dicendi facultas. At quandiu Romæ tribunalia patere & tum publica tum privata judicia fieri contigerit, quandiu causas de criminibus

bus agitari & homines in jus vocari atque defendi, tandiu illa pristino suo jure uti atque in subfelliis ut olim regnare videbitur. Desinant ergo, desinant optimarum artium contemptores eloquentiæ gloriam insolenter traducere: comprimant aliquando voces obtrectationis & invidentiæ plenas. Plus satis jam palam est, eloquentiam ad forensem dignitatem hac nostra ætate esse vel maxime necessariam. Etsi, age, pergant dum volent de foro rabulæ honestissimas disciplinas maledictis incessere. Clamitent boni viri inter eloquentiam ipsam & juris scientiam nullum interesse commercium, nullum vinculum societatis. Suadeant quantum valent, ab ejusmodi studiis nullum esse expectandum emolumentum, nullas opes, nullum decus: omnem ipsis obtrectandi licentiam damus. Neque enim veremur, ut quisquam tam hebes ingenio, aut natura tam amens existat, qui ab istorum dicacitate jejunis que argumentis sese unquam ab eloquentiæ studio dimoveri patiatur.

IN OPTIMIS STUDIIS LENTE FESTINANDUM.

ORATIO VII.

Habita xv. Kal: Novembris, anno MDCCXVIII.

GLORIANTUR plerique nostræ ætatis homines, optimarum artium studia hoc tempore ad eam esse deducta facilitatem, ut paucis annis & pere-

perexiguo labore cuique facile sit magnam sibi doctrinæ laudem comparare. Quinetiam nonnulli libere affirmant, hominis vitam non brevem admodum esse, ut putavit Hippocrates, ad unam vel alteram disciplinam assequendam; sed diuturnam quoque fatis & bene longam ad amplissimum illum scientiarum orbem obtinendum, quem Græci Encyclopædiam dixerunt: tot videlicet esse hodie discendi subsidia prompta atque parata, tam amplam librorum supellectilem, tot publica ubique gymnasia & nobilissima literarum emporia patere, ut nisi quis ingenio sit omnino destitutus, aut summam ad ignaviam projectus, brevi possit præclaros in omni liberalium artium genere progressus facere. Quæ quidem si vera sunt, ab istis quæro, qui tandem fiat, ut in tam obvia atque expedita discendi ratione, tam pauci nihilominus reperiantur, qui non dico universum illum scientiarum circulum ingenio complectantur, sed in una vel altera disciplina inter ceteros præstent, & quasi primos ordines ducant? Ubi memoria nostra Platonēs, ubi Demosthenēs, ubi Ciceronēs, aut Plinii atque alia ejusmodi clarissima doctrinæ lumina? Nemo profecto non videt, communi experimento refelli inanem istorum hominum credulitatem, aut nimium, ne durius agere videar, blandiendi cupidæ juventuti desiderium. Multo labore multique vigiliis, si vera fateri velint, opus est ad solidam doctrinæ laudem consequendam. Nec quicquam est mea sententia, quod studiosis adolescentibus officiat magis quam immatura &

præ-

præceptum studiorum ratio. Quandoquidem si ulla alia in re, certe in optimarum artium studio, ut veteri proverbio dicitur, est lente festinandum. Quare adeste vos animo, Adolescentes optimi, quotquot hodie ad intermissa literarum studia instauranda frequentes in hunc amplissimum locum alacri lætoque animo convenisse video. Nam vestram causam & quidem gravissimam hodierno die me potissimum suscepisse profiteor, dum præproperam quorundam in studiis festinationem oppugnare aggredior. Hanc enim vos veluti ingeniorum pestem ac pernitem fugiendam esse, quemadmodum spero, facile intelligetis.

At vero dum in ipso orationis aditu immaturam & plus æquo festinatam studiorum rationem reprehendere instituo, nemo vestrum sibi persuadeat, eorum mihi probari consilium, qui in levioribus studiis adolescentes diutissime detinent, ut ad unam latinæ linguæ institutionem complures anni, immo integra hominis ætas vix satis esse videatur. Tantum abest, ut istorum sententiam laudem, quin illam potius nullo modo ferendam esse judico. Nam ut de ipsius latinæ Grammaticæ rudimentis exemplum sit, quid est per vestram fidem immensa illa regularum, appendicum, scholiorum monitorumque farrago, quam ad torquenda puerorum ingenia usque adeo exaggeravit cerebrata ista grammaticorum natio? Quid tot ambages ac subtiliores observationes, quæ non latinæ linguæ castitatem, sed tricas & apinas bene longas continent,

in

in quibus miseri adolescentes potissimam ætatis partem traducere coguntur? Amputetur aliquando tot luxuriantibus ramis abundans ipsamet latine loquendi ars; puerisque tradatur angustis ut olim finibus circumscripta Grammaticæ facultatis institutio: næ ego amens sim, nisi minori cura & perbreui tempore pueri ipsi latinum sermonem integrum ac purum expedite loquantur; quos hodie post tot labores atque ætate grandiori adhuc balbutientes audimus. Quod quidem de longioribus grammaticorum commentationibus sic dictum volo, ut de Dialecticis pariter, de Physicis, de Theologicis aliisque gravissimis facultatibus non minus intelligatur. Quandoquidem ingeniorum luxuries tantam in singulas disciplinas propaginem subtilitatum invexit, ut sapientissimi cujusque judicio nihil jam utilius magisque necessarium esse videatur, quam eas circuncidere & quasi ad vivum refecare. Quamobrem ego nunquam eos bonarum artium professores laudaverim, qui nimia quadam docendi intemperantia ducti singula quæque student subtilius copioseque enucleare, ut nihil præterea supersit dicendum, vel cogitandum; quique non id quærunt, ut ad doctrinam veram & solidam juventuti facem præferant, sed illud potius, ut rerum ubertate & dicendi copia magnam sui moveant audientibus admirationem. Qui si gloriolam istam pluris quam juventutis ab se recte in studiis instituendæ laudem faciunt, certe sunt reprehendendi.

Verum ut aliquando, unde digressa est, revocetur oratio mea, si quis forte putet, cum unam
vel

vel alteram disciplinam a me nominari audiat, leve aliquid, aut parvi negotii provinciam dici, is vehementer errat. Quemadmodum enim maximorum montium altitudo procul intuentibus minus conspicua esse solet, ubi vero ab ea propius absumus, tum apparet quanta demum illa sit, & quam in sublime assurgat: ita fere nemo prospicit quam excelsum atque arduum sit cujusque doctrinae fastigium, nisi illud cominus contempletur, & quam proxime ad ipsum accedat. Præstat itaque liberalium artium naturam earumque altitudinem atque profundum paulisper inspicere. Nihil autem hoc loco de studiis eloquentiæ dicam, ne nostra magnificentius extollere, aut quæ in me multa desunt, ab aliis exquirere velle videar. Norunt multi, qui me audiunt, quam late pateant hujus generis studia. Norunt cujusmodi laboris sit, oratoris personam pro virili parte ac dignitate sustinere. Præterea in oculis omnium extant quæ multa M. Tullius, Fabius Quintilianus & Dionysius Longinus ad perfectam absolutamque dicendi rationem esse maxime necessaria doctissimis monumentis tradiderunt. At vero Philosophia, quæ primo nobis occurrit, in quantam, Deus immortalis, latitudinem se se explicat? in quot partes ac membra veluti magnum doctrinae corpus distributam videmus, quæ singula multiplicem eruditionem comprehendunt? Nam ut Dialecticæ artem, quæ sane suas habet subtilitates & anfractus bene multos, præteream; quanti ingenii ac laboris est, rerum omnium, quas oculis intuemur, quaque in terris vel in aqua gignuntur, si

ve in aere ex elementorum conflictu procreantur, causas penitus abditas retrusasque perquirere? Quot profecto in hac una naturæ contemplatione arcana latent, de quibus & veterum philosophorum placita consulenda & experimenta recentiorum ad examen sæpius sunt revocanda? Equidem nemo hæctenus fuit, qui certo definire, aut satis explicare potuerit & magnetici lapidis ad cælestem polum conversiones & originem fontium & admirandam fulminum celeritatem & vim ac sexcenta ejus generis alia. Tu vero vix auditis aliquot de materia & forma opinionibus, vix nonnullis de causarum numero atque ordine quæstionculis delibatis, te continuo physicum prædicas & universæ naturæ interpretem sapientissimum? O stultos Democritos, stultos Platones atque Aristoteles, qui tot annos pertinaci industria assiduisque vigiliis in Philosophiæ studio desudastis! Ecce adolescentes nostri paucis mensibus & quasi per ludum omne id assequuntur, ad quod integram diuturnamque ætatem vos nequaquam sufficere posse putabatis. Certe Themistocles ille philosophus cum centum & septem annos, quibus vixit, in Philosophiæ contemplatione fere omnes consumpsisset, morti proximus dixisse fertur: se dolere, quod tum de vita egrederetur quando in Philosophiæ studiis progressum aliquem erat facturus.

At vero profundiorē, inquirunt, naturæ notitiam iis ultro relinquimus, quibus per omnem vitam in ejusmodi studiis otiosi vacat. Nobis autem, qui ad gravissimas facultates, ad Jurispruden-

dentiam, ad Medicinam, vel ad Theologiam properamus, abunde est primoribus labris isthæc degustasse & extremis, ut dicitur, digitis attigisse. Præclare quidem. At Metaphysicæ studium, quod viri sapientes tanti fecerunt, atque Ethicæ, quæ disciplina morum vitæque civilis magistra habita semper fuit, omnino superfluunt? Quid multa? Honestissimas siquidem ejus generis disciplinas quasi otiosas occupationes æstimant, & tanquam figmenta a male feriatis hominibus excogitata negligunt atque prætereunt. Non erat ergo, cur tam multa sapientissimus Socrates de virtutibus ac vitiis disputaret. Non erat, cur Plato atque Aristoteles tam ampla de singulis Philosophiæ partibus scripta posteritati relinquerent, si in illis nihil excellens, nihil egregium, nihil denique bonæ frugis inveniretur. Age vero ad medicorum scholas advolent cursores isti studiorum. Græcas, credo, literas, quibus ipsa medendi ars principium sane debet & incrementum, intime norunt. At vereor, ne latinas quidem satis intelligant. Cælestium corporum motus, opinor, & quam in hæc nostra inferiora vim habent, probe tenent. Quid ad medicum, inquirunt, sidera? Nos morborum originem eosque depellendi rationem, non stellarum ortus & occasus inquirimus. Atqui Hippocrates & Galenus medicorum principes hanc ipsam astrorum scientiam ad morborum curationes suscipiendas, aut etiam prætermittendas, ad crises internoscendas, ad exitus bonos vel malos prænunciandos esse maxime necessariam affirmant. Et vero paucis explicari
non

non potest, quam multiplicem rerum notitiam postulet ars ceterarum omnium periculosissima. Quis enim ignorat quam intimam arctamque habeat medendi facultas cum Anatomia, cum Botanica, cum Optica, cum Mechanica aliisque bonis artibus societatem? Quæ si forte negligantur, nullum majus reipublicæ malum, aut luctuosius communi salutis periculum accidere potest. Hinc enim fit, ut homines nullis ejusmodi studiis informati ad usum atque exercitationem ejus artis temere irrumpant, quæ cum per se sit maxime periculosa, nisi recte adhibeatur, evadit longe omnium perniciosissima. Et mirabitur quisquam, si id temporis in tanta quidem medicorum turba unum plerique omnes medicum quærant? Verum plura dixi, quam volueram, de isto hominum genere, quo cum dimicationem suscipere est valde periculosum. Illud mihi satis est cuique ob oculos ponere, Medicinam arduam & negotii plenam esse provinciam: nec quemquam fore etiam ingenio præstantem, qui exiguo tempore, aut modico labore assequi possit id, ad quod obtinendum superiori memoria viri ab ingenio prope facti & optimis artibus instructissimi Helmontius, Willisus, Thakenius, Fallopius, Malpighius, Bellinus aliique plurimi spatium ætatis omne consumpserunt.

At vos jam compellat oratio mea, juvenes navi & industrii, quos ad scientiam juris in hoc Romano gymnasio summo studio summaque frequentia convenire video. Equidem si vos aut veterem jureconsultorum sapientiam & singularem
eru-

eruditionem mature spectetis, aut in eorum clarissimorum virorum, qui literis vix restitutis, ad jus civile exornandum omnem industriam suam contulerunt, doctrinam & multijugem totius antiquitatis cognitionem intueamini; facile vobis erit intelligere, quarum rerum quandam veluti præursionem a vobis postulet absolutissima juris prudentia. Sciunt enim omnes quanto & Græcarum & Latinarum literarum apparatu, quanto eloquentiæ studio muniti ad juris facultatem accesserint in Italia princeps & dux ceterorum Andreas Alciatus, Tiberius Decianus, Iacobus Menochius, Guido Pancirollus; in Hispania Antonius Augustinus, Didacus Covarruvias, Antonius Goveanus, Arius Pinellus; in Gallia Guilielmus Budæus, Iacobus Cujacius, Franciscus & Duarenus & Balduinus, Antonius & Petrus Faber; in Germania Zazius, Sicardus, Vigilius aliique plurimi. E quorum unanimi consensu tantaque diversarum gentium conspiratione nemo non videt, unam omnium fuisse sententiam, ad jus civile amplectendum non levem & perfunctoriam latini sermonis cognitionem & adumbratam Dialecticæ tincturam, ut hodie plerique existimant, sufficere; sed cum eloquentiæ & literarum studio totius anteaactæ notitiæ memoriam atque ex omni gente collectam eruditionem requiri. Quandoquidem ut a Dionysio Gothofredo viro sapientissimo & de civili scientia optime merito admonemur, jus civile Romanum, quod sanctitate legum & disciplina omnium exterarum gentium legibus & institutis præponde-

rat, omnia populorum jura & mores in se comprehendit. Siquis ergo ex hac tanta juvenum frequentia existeret, qui civilis scientiæ elegantiam & ornamenta despiceret, & apud illum clarissimorum virorum, quos paulo ante honoris causa nominavi, auctoritates nihil valerent; imo vero satis sibi esse duceret ex Institutis, vel etiam ex Pandectis delibare nonnulla, quæ ad forensem usum maxime pertinent: hunc ego sane non legum jurisque peritum futurum esse dicerem, sed legulejum & unum de foro rabulam. Novi equidem in hac Urbe hominem inter caussarum patronos minime postremum, qui ab studioso juris adolescente contubernali suo de trita illa juris civilis partitione, qua scilicet Justinianus Cæsar universum jus Romanorum in quatuor libros, Pandectas, Codicem, Institutiones & Novellas constitutiones distribuit, cum esset requisitus, obmutuit; atque ita mente turbatus hæsit, ut si de aliqua Sinarum provincia, aut unde Nilus originem ducat, fuisset interrogatus. Quid si homo eruditus de XII. Tabulis, unde omnis publici & privati juris fons promanavit, de Prudentum responsis & jure non scripto, de Senatusconsultis, de Prætorum edictis, de decretis aut de epistolis Principum simili ratione fuisset consultus? Enimvero istiusmodi homines, si id quod est, fateri volumus, indigni sunt prorsus, qui sibi jureconsulti nomen & dignitatem usurpent, cum ipsa fundamenta legum ignorent, & uberrimos juris fontes & capita ne viderint quidem. Age vero hæc omnia si ma-

vis negligentur : in ea namque tempora delapsi sumus , in quibus eruditionis nomen forensium hominum auribus barbarum sonat : sed jurisprudentiæ potius vim solidam & succum ipsum inquiramus . Enim verò quam amplum , quam immane doctrinæ corpus efficiunt , quæ unius civilis scientiæ ambitu continentur ? Ut nihil dicam de amplitudine juris Canonici , cujus quidem fines longè lateque proferuntur ; nihil de innumeris Conciliorum decretis , nihil de tam multis Romanorum Pontificum constitutionibus : quæ singula immensi laboris assiduitatem & non impar diuturnæ vitæ studium postulare nemo est , qui non videat . Huc accedit tot iam propagatas esse in utramque judicii partem opiniones Doëtorum , ut his uniscapiendis vix ampla bibliotheca sufficiat . Quorum sententias cum ad examen revocari , & si quæ falso obtruduntur interpretationes , expungi oporteat , facile omnes intelligunt , totos ingenii nervos & laboris vim maximam esse adhibendam . Quæ cum ita sint , prodeat nunc in forum pexo capillo nitidus & barbatulus nescio quis juvenis , qui vix levi quadam legum & judiciorum notitia resperfus , audeat tamen sese Urbis profiteri jureconsultum : qui videlicet tri-duo totam , quantacunque illa est , juris scientiam devoraverit . Ego quidem audaciam ejusmodi propter ætatem excusari posse non dubito . Mirari tamen fatis non possum , quenquam tam amentem reperiri , qui novi & inexperti hominis fidei causam committat . Hunc quippe & rebus

suis & fortunis & liberis pessime consuluisse quis non videt? Cladem quippe subeat necesse est, qui cæco & imperito duce cum hoste confligit. Juvenes autem, qui sic imparati ad forum accedunt, id quæso caveant dum iter nimium properant, ne idem, ut in veteri proverbio est, ferius absolvant. In ipsos enim optime quadrat scitum illud Divi Augustini adversus Petilianum, iis scilicet, qui plus nimio festinant, nonnunquam uluvenire, ut vestem, aut calceos perverse induant, quæ res postea currentibus moram & tarditatem affert.

Jam vero de Theologia pauca dicam, ut inde de ceteris disciplinis conjectura amplissime fiat & judicium. Equidem si e tanta Theologorum paucitate, quantam esse videmus, divinæ hujus scientiæ difficultatem & salebras deducere fas est, nemini obscurum esse poterit, quantum amplitudine & dignitate ceteras disciplinas Theologia antecellit, tantum illam & ingenii & laboris præ aliis exquirere. Nam si rationem recte subducere velimus, pro innumeris prope religiosiis familiis, quæ hodie in ejusmodi studio uacue versantur, paucissimi quidem sunt, qui tam amplæ facultatis non dicam membra omnia & partes, sed partium articulos absolutissime comprehendant. Nisi forte Theologos mihi nominas disputatores nescio quos acres & subtiles, qui nihil de additionibus sacrarum literarum oraculis, nihil de Ecclesiasticæ historiæ notitia, nihil de monumentis tum Græcis tum Latinis sanctorum Patrum attigerint; sed Dialecticorum instar rem omnem a-
 gunt

gunt disputationibus & clamoribus . Hos enim censoria virgula notatos e Theologorum collegio dispungit Melchior Canus vir dignitate & doctrina clarissimus . Audite quæso doctissimi antistitis testimonium . Intellego, inquit, fuisse in schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolverint, & vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum; & cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Patribus oleat, nihil ex gravi Philosophia, sed puerilibus fere disciplinis; Theologi tamen, si superis placet, vocantur. Ex qua gravissima auctoritate cui perspicuum non est, quot doctrinæ præsidii debeat esse instructus, qui præstantissimæ facultati nomen dedit? Dubitari plane non potest, quin præter magnam ingenii vim diuturno quoque labore multisque vigiliis ad tam amplam eruditionem comparandam opus sit, sine qua nemo potest jure dici Theologus. Equidem si paulo maturius cogitemus quæ superiori ætate plena succi & sanguinis monumenta literis elegantissimis tradiderunt & Bellarminus & Sirmondus & Petavius & Alphonsus a Castro & Melchior Canus & Thomassinus & Natalis Alexander alique permulti, qui de rebus Theologicis acute simul & nervose scripserunt, compertissimum nobis erit, ejusmodi studia complurium annorum industriam, imo vero diuturnæ ætatis maturitatem redolere.

Verum quid diutius gravissimis disciplinis immoramur, cum hæc nostra mitiora literarum studia, quæ Humanitatem appellant, tantum sibi cum ingenii tum temporis postulare videamus? Nam præter universam illam ceterarum fere omnium artium, quam necessario exigunt, notitiam, præter historiarum, quam Græci & Latini scriptores memoriæ tradiderunt, cognitionem & amplissimam illam ubertatem rerum, quæ eruditio dicitur; quanti mehercule laboris est dictionem sibi puram & elegantem conflare, varias dicendi notas internoscere ac multiplices sermonis formas exprimere? Quam paucorum semper fuit orationem sic verbis & sententiis instruere, ut ad veteris eloquentiæ decus & majestatem proxime accederet? Quid vero de poetica facultate dicam, cujus dignitas plusne naturæ, an arti, plus ingenio, an industriæ esset tribuenda, merito viri sapientissimi dubitarunt? Atqui Virgilium, cui ingenium bene limatum & omnibus fere disciplinis excultum, septem perpetuos annos in Georgicorum libris desudasse accepimus. Neque ipse annorum duodecim, quos in divino *Æneidum* carmine insumperat, moram satis esse putavit ad sempiterni ejus operis commendationem, quominus illud ut rem informem impolitamque testamento comburi juberet. Quid quod Jacobus Sannazarius poeta sane elegantissimus tres illos aureos de Partu Virginis libros viginti annorum lima perpolivit? Nam quemadmodum Zeuxis ille celeberrimus in tabulis pingendis morosus & difficilis dicere solebat, se diu pingere, quod æterni-

tati pingeret ; ita plane quæ immortalitati parantur, diu multumque cogitanda sunt ; neque ante de tabula ponenda est manus, quam singula dilucida sint admodum atque expolita . Quamobrem Horatius in præclara illa & immortalis ad Pisones epistola sæpissime inculcat , multa die multisque lituris esse castigandum , quod prope diem in lucem est exiturum : nec quicquam fore elaboratum satis atque perfectum , quod longa mora non concoqueret, nonumque in annum non premeretur. Quæ sic dicta volo, ut omnes intelligant, citra sudorem studiumque plurimum neminem in re literaria fieri summum, nec posse paucis annis, ut stulte sibi plerique arrogant, ad veram doctrinæ laudem pervenire.

At vero dicet aliquis, Picus ille Mirandulanus, cujus gloria in omnium ore & admiratione semper vivet, nonne tam brevi, quo vixit, trium circiter & triginta annorum tempore id est assequutus, ut & orator & philosophus & mathematicus & theologus magni nominis esset, cum tam multa de omni fere doctrina & publice disputaverit & literis tradiderit ? Quid quod præterita ætate, ut ne longius abeam, Hugo Grotius, Daniel Heinsius, Blasius Paschalius in ipso adolescentiæ flore complura in lucem ediderint, quæ eruditionem minime vulgarem redolent ? Profecto non negaverim, Picum aliosque permultos extitisse, qui singularis ingenii felicitate paucissimis annis eo pervenerint, quo plerique homines longo studio multaque ætate pervenire nequaquam potuerint. At vero præterquamquod

quæ paucorum felicitas est ad commune ceterorum exemplum trahi nullo modo potest, quis ignorat, non defuisse doctos & emunctæ naris viros, qui in Pico ipso Mirandulano aliquanto amplius desideraverint, & in eo nescio quam præcocis ingenii acerbiter culpaverint? Illud certe negari non potest, multos nævos & maculas illius scriptis esse asperfas, quæ in eloquentia & elegantioribus literis hominem immaturum fuisse ostendunt. De ceteris autem dico, homines quidem multos præceleri fervidoque fuisse ingenio, qui scriptis editis adolescentiam suam illustraverint: negotiominus omnem in præmaturis ejusmodi fructibus degustari tum ingenii tum judicii maturitatem. Quod ne cui obtrectandi causa, aut de gloria summorum virorum quicquam detrahendi studio dictum esse videatur, literariæ Reipublicæ annales quæso percurrite. Non pauci sane vobis occurrent viri literatissimi, qui deinde confirmata jam ætate, ad inducem ea ipsa revocaverint, vel etiam cum pudore damnaverint, quæ pridem juvenilibus annis nimium festinanter effederant. Hoc enim, ut antiquiores præteream, & Laurentium Gambaram & Petrum Bembum & Franciscum Petrarcam & Torquatum Tassum aliosque magni ingenii homines fecisse legimus. Nec sane mirandum; cum oculis nostris quotidie videamus, succum non habere diuturnum, quæ nimis celeriter maturefcent, neque diu vigere, quæ præpopere & quasi ex tempore giguntur: contra vero arbores quæ in multas ætates mansuræ sunt, altioribus homo defigi radicibus, fero crescere ac
pau-

paulatim robur & firmitatem tenere.

Quæ cum ita se habeant, jam intelligitis, Adolescentes optimi, quorum causa potissimum hæc omnis oratio instituta est, nihil esse solidior doctrinæ noxium magis aut inimicum, quam nimiam studiorum festinationem. Non cursorum more, sed lente, sed maturo consilio in optimis studiis est properandum. Sat cito, dicere solebat sapientissimus Cato, res fiunt, si sat bene. Quid autem vobis ad scientiæ exitum celeriter pervenisse proderit, nisi illius membra omnia & partes plene cumulateque teneatis, aut in ea quid primo, quid postremo loco sit, haud satis percipiatis? Agite itaque rem vestram naviter, & ad quam semel animum appulistis disciplinam, ad eam diligenter constanterque incumbite quousque illam a vobis revera possideri & utilitatis & gloriæ vestræ fundum fieri contingat.

DE EXPEDITA DISCENDI

R A T I O N E.

ORATIO VIII.

Habita xv. Kal. Novembris, anno MDCCXIX.

CUM anno superiore ex hoc ipso loco eam more majorum orationem haberem, in qua quotannis quispiam de dignitate ac præstantia bonarum artium præfari solet; illud, si meministis, contendebam, in optimis studiis lente quidem

dem esse festinandum ; nec studiosæ juventuti quicquam esse perniciosum magis, aut inimicum, quam paucissimis annis gravissimarum disciplinarum studiis immorari, quæ multum & temporis & laboris omnino requirunt . Quod argumenti genus his plane temporibus necessarium etsi sapientissimis, qui aderant, viris probatum fuisse certe scio ; non defuerunt tamen aliqui, qui inde occasionem obtrectandi arripuerint : quasi vero, proposita hac tanta studiorum difficultate, juvenes ab suscepto eorundem cursu retardari & magnos illos, quos ad Academiam attulerant, animos despondere contingat . Quorum opinio tametsi & ratione & communi experimento refutari facile possit ; cum compertissimum sit, quæ obvia & unicuique exposita maxime sunt, homines ea negligere atque contemnere ; ad illa vero, quæ ardua & multo difficillima, eos fortiter aggredi & majori studio & voluntate duci : malo tamen mitiori ejusmodi hominum ingenio indulgere, quam erga ipsos durior, aut parum officiosus videri . Temperabo itaque hoc anno austeram illam dicendi rationem, & molliori suscepto argumento, tyrones milites, si qui forte severitatis metu a nobis olim dilapsi sunt & in fugam coniecti, ad musarum castra hodierno die revocare conabor. Quare aditus quosdam breves admodum & expeditos cupidæ literarum juventuti indicare statui, per quos, si velit, propere possit ad veram doctrinæ laudem pervenire. Hac autem ne quis forte dici putet adulandi studio, aut ostentandi ingenii causa, quod a natura mea

sem-

semper abhorruit, nihil de meo proponam : sed presso pede summorum virorum vestigia persequens, quem ipsi tenuerint brevissimum discendi cursum, ostendam. Sic enim omnes intelligent, non me meo consilio, sed ipsos veteres sapientiæ magistros, hoc unum expeditissimum munivisse ad doctrinam iter, quo nullum possit aut magis certum, aut compendiosius excogitari.

Duo sunt omnino, quantum ego intelligo, quæ cum in omni vita, tum præsertim in bonarum artium studio plurimum valere majores nostri semper existimarunt, amor nimirum & diligentia. Quorum alter animum excitat, & subiectis veluti facibus ad agendum inflammat : altera vero facit, ut id, quod eximium & laude dignum, homines magno conatu summoque labore assequantur. His quidem ducibus ad optimas disciplinas iter facile & expeditum majoribus nostris semper patuit. Hanc unam illi brevem & rectissimam ad literarum studia viam nobis tritam reliquerunt. Amor scilicet, amor doctrinæ fuit, qui Platones, qui Aristoteles, qui Archimedes, Hippocrates, Papinianos aliæque clarissima scientiarum lumina olim peperit, & ad gloriam extulit sempiternam. Putant nonnulli, & falso quidem, ætatis nostræ ingenia tardiora esse atque hebetiora, quam antiquorum fuerint. Putant effœtam jam esse naturam, & magnorum ingeniorum semina penitus interiisse. Cum enim videant nostris hisce temporibus tantam adolescentium frequentiam in literario pulvere desudare ; nihilominus paucos admodum

singularis doctrinæ palmam referre : nullumque memoria nostra existere , qui scientiæ gloria cum antiquis decertare audeat : nullum , qui in poetica facultate cum Homero , aut Virgilio , nullum , qui in eloquentiæ castris cum Demosthene aut M. Tullio sit conferendus ; in eam facile suspicionem veniunt , iccirco veteres tantopere excelluisse tantoque nos ab illis doctrinæ intervallo distare , quod aureo seculo nati sint primo naturæ partu , cum vis seminis effet acerrima & terræ benignitas tanta , ut centesimis semper & cum anatocismo responderet . Nos autem deteriori ætate , cum jam solum lassum & emaciatum est , exortos non æqualem mentis aciem , neque eandem ingenii vim , aut perspicaciam habere ! Quæ si vera essent ; liceret utique nobis de natura gravissime conqueri , quod erga nos non parentem egisset , sed novercam ; quodque illorum mentibus ingenii florem instillasset & succum , nobis autem quisquilias & porriginem reservasset . At vero cum ex multis , quæ hoc nostro tempore longe subtilius inventa sunt , aut quæ ingeniosius quam antiquis temporibus pertractantur , facile sit intelligere , non tardiora nunc esse , quam olim fuerunt ingenia ; cum insuper & plura & uberiora nobis quam illis præsto sint ad discendum subsidia , quid aliud tandem in caussa esse dicemus , nisi quod nos non eodem amore , neque eodem , quo veteres , studio honestissimas disciplinas prosequamur ? Et quidem incredibile ac prope immensum erat illorum in perscrutanda veritate desiderium ; atque

que adeo inexplebili sciendi cupiditate conflagrabant, ut nihil tam arduum, nihil tam alte positum, ad quod eorum diligentia & industria non pervaderet. Non inauditum aliquid, aut in hoc genere novum dico. Plena sunt historiarum monumenta, plena vetustatis exempla, plenæ omnium gentium literæ. Quis enim ignorat, Aristotelem hoc ipso discendi studio inflammatum annos viginti perpetuos divinum Platonem sic audivisse, ut ne unam quidem interim ejus lectionem prætermisisset dicatur? Quis ignorat, Platonem ipsum, Pythagoram, Democritum, Anaxagoram aliosque bene multos summo vitæ incommodo maxime diversas ac remotas regiones peragrasse, ut ampliorem sibi doctrinæ censum compararent? Quid quod Euclides ille Megarensis auditor Socratis tanta sciendi cupiditate incenderetur, ut ejus rei causa capitis etiam periculum adire sæpissime non dubitaret? Nota res est & apud omnes gentes satis superque pervulgata; digna tamen, quæ sæpius repetatur & ad omnem posteritatis memoriam summis laudibus efferatur. Caverant Athenienses edicto, ut si Megarensium quispiam pedem Athenas inferret, ei capitale fieret. Euclides autem, qui Megaris natus, quique antea & esse frequenter Athenis & Socratem audire consueverat, tantum hinc accepit dolorem tantamque animi ægritudinem, ut mori satius quam ab ipso Socrate diutius abesse duceret. Quid ergo consilii ceperit, quæso animadvertite. Sub noctem homo sagax & acutus muliebri stola & pal-

pallio ornatur, ac fœminarum more capillis reticulo collectis, Athenas per summum vitæ discrimen ad Socratem adit; quodque mirandum magis est, rursus sub lucem millia passuum prope viginti eadem illa veste tectus domum commigrabat. Quis summam hominis constantiam non admiratur? Quis discendi ardorem incredibilem non videt? Quantum autem fuisse putabimus sciendi desiderium, quod hominem domus suæ nobilem a quiete nocturna, a Diis penatibus, tectisque patriis, ab omnibus vitæ commodis distraheret, & tam apertum capitis periculum subire sapius impelleret? Si revera idem nobis esset erga literas amor, si eadem discendi cupiditas, dubitandum non est, quin magni nunc quoque in omni disciplinarum genere progressus fierent. Non esset profecto, cur ætas nostra heroicis illis temporibus tantopere invideret, in quibus præstantissima ac prope divina ingenia floruisse miramur. Non deessent in unaquaque ætate Platones & Archimedes, non deessent Demosthenes & Tullii, si eorum studium ac diligentia minime deessent. Et quidem altero ab hinc sæculo tot in omni facultate extiterunt viri clarissimi, qui ut veteres illos sapientiæ antistites ingenio superare haud potuerint, ad eorum tamen gloriam quam proxime quidem accessisse videntur. Neesse non est hic vobis ad memoriam revocare Scaligeros, Sigonios, Lipsios, Grotios, Galilæos, Cujacios aliosque complures, qui magna cum ingenii laude & singularis doctrinæ fama floruerunt. Quot præterea fuere præ-

præ-

præclara eruditione adolescentes, qui in ipso ætatis flore quasi canescere & doctrinæ maturitatem quandam ac senectutem habere visi sunt? Nolo in illis nominatim recensendis immorari, cum præsertim in oculis omnium sint evulgata ab Adriano Bailletto viro clarissimo monumenta, quæ ex omni fere literarum memoria collegit de unis adolescentibus, qui studiis scriptivæ editis inclaruerunt. Quid autem illis tantum animi tantumque virium dedit, ut imbecilla ætate gravissimas disciplinas profiterentur, & puerilem prætextam cum philosophorum pallio commutarent? Doctrinæ profectò amor fuit, qui eosdem impulit, incitavit, & quemadmodum poeta ait, alas addidit, ut festinato cursu & incredibili velocitate ad amplissimæ gloriæ fastigium properarent. Equidem nihil est, ut M. Tullius affirmat, quod studio & amore effici non possit, nihil tam arduum, tam eminens, quo amor eniti non valeat.

Quanta vero fuerit ejusmodi vis amoris, quantaque cupiditate homines sapientissimi ad optimarum artium possessionem aspiraverint, nullo sane luculentiori argumento dignosci posse crediderim, quam ut videamus diligentiam prope incredibilem, qua eosdem doctrinæ assequendæ causa usos fuisse ex annalium testimonio accepimus. Cum enim probe perciperent, inane esse ac perridiculum illud sciendi desiderium, quod cum summa industria ac diligentia minime conjungeretur; nulla erat difficultas, nulla vis, nullum incommodum, quo ipsi ab instituto studiorum cursu retardarentur; & quominus perpetuos dies no-

ctes-

Etæque scriberent, aut sese immensis lectionibus occuparent. Quamobrem Cicero ad Atticum scribens de se ipso testatus est, incredibile esse omnino quantum scripserit die, quin etiam noctibus. Nihil enim, inquit, est somni. De Aristotele autem Laertius memoriæ prodidit, ejus libros ad quadringentorum pene numerum pervenisse, de quibus nemini sit ambigendum, præter complura alia volumina, quæ ipsimet tribui soleant. Quid vero de Galeno medicorum principe dicam, quem libros de re medica quadringentos, de aliis autem disciplinis ducentos quadraginta conscripisse, auctor est Joannes Fernelius? Quid de Ser. Sulpicio viro summo atque doctissimo, quem juris civilis scientiam centum & octoginta voluminibus illustrasse accepimus? Quid demum de Aristarco Grammatico, qui de multiplici reconditaque eruditione commentarios supra mille literis consignavit? Ut nihil de Theophrasto, nihil de Didymo Alexandrino loquar, quorum ille trecenta volumina, hic vero quatuor millia posteritatis memoriæ mandasse dicitur. Quæ quidem utcunque vera sint, certe sanctissimus Ecclesiæ Doctor Hieronymus se librorum Origenis sex millia non vidisse modo, verum etiam perlegisse affirmat. Quocirca in altero scribendi labor, in altero autem legendi studium admirationis habet plurimum. Quamobrem omnes jam, puto, satis intelligunt, quo majores nostri cursu ad solidam doctrinæ laudem venerint: quo animi ardore, vigilantia, assiduitate, utque omnia uno verbo complectar, qua diligentia in optimis stu-

studiis se gesserint ; omne sibi tempus periisse rati, in quo aliquid non didicissent : adeo ut fama sit, Catonem Uticensem virum celeberrimum in ipsa quoque Romana curia, dum Senatus coereretur, Græcos libros lectitare consuevisse. At nostra ætate juvenes, qui non labori, sed otio non vigiliis, sed somno, non libris, sed ludis libentissime vacant, literas tamen se amare & in deliciis habere profitentur. Imo, quæ incredibilis amentia est, cum laborem & industriam fugiant ut nihil supra, ita tamen sibi de suo ingenio blandiuntur, ut viros perquam doctos & literatos se posse fieri sibiimet stultissime persuadeant. Enimvero nobis etiamsi suadeant, ut ait Comicus, non persuadebunt. Nam quæ major excogitari potest temeritas, quam oscitanter & quasi per otium id velle assequi, ad quod obtinendum majores nostros tot labores suscepisse videmus? At dicet aliquis: non pauci juvenes præceteri præditi sunt ingenio, & memoriæ vi multa pollent. Quasi vero majores homines natura tardi atque ingenio hebetes fuerint. Quem autem unquam post homines natos invenias, qui cum Pythagora, cum Platone, cum Aristotele, cum M. Tullio ceterisque ejus disciplinæ viris sit ingenii præstantia & amplitudine conferendus? Quam ergo illi sibi sapientiæ laudem diu multumque laborando compararunt, hanc tu homo ingeniosior minimo negotio, vel etiam, si Diis placet, paucissimis diebus referes? O ridicula capita! O stultitiam singularem! At longius jam, quam par erat, progressi sumus. Ut finem di-

cendi faciam, ad vos quotquot adestis, ingenui Adolescentes, se convertit oratio mea: vos magnopere hortatur atque obsecrat. Si majorum gloriam æmulamini, si dignitatem literatorum hominum, quod sane præclara vestra indole dignissimum est, præoptatis; eorum pariter in discendo ardorem, eorum labores & studium, eorum diligentiam atque industriam imitari velis remisque contendite. Breve profecto vobis atque expeditum patebit ad Doctrinam iter, si eorundem vestigiis insistere vos minime pigeat. Magnum quidem & arduum negotium suscepistis: non inficior. Sed illud primo cogitate: nihil esse amanti difficile, nihil arduum, nihil impervium. Volat, ut ajunt, amor, si quo aliter pervenire non possit. Deinde tantam esse sciendi voluptatem, ut omnis studiorum labor suavissimus fiat; atque etiam sæpe, licet sit revera durus & diuturnus, minime tamen sentiatur.

Sanctissimo Domino Noſtro

INNOCENTIO XIII.

PONT. OPT. MAX.

Paulinus a S. Joſepho Scholarum Piarum .

ORATIONEM hanc, quæ de argumenti magnitudine dignitatem ſibi aliquam comparavit & ornamentum, ſupplex & quæ maxime decet veneratione tibi offero, Innocenti Pontifex Maxime . Quod plane volens lubensque facio, cum ea, quæ in Leone X. ſuſcepimus & admirati ſumus, in te quoque & virtutum ſimilitudine & ſupremæ, quam ſuſtines dignitatis majeſtate, mirifice conſpirare videamus. Etenim quis non intelligit, conſtituta eſſe auſpicatiſſimi tui initia principatus ea ipſa duo, quæ Leonis nomen immortalitati maxime commendarunt, amorem ſcilicet & majeſtatem? Humanitas quippe illa ſingularis & amor eximius, qui in te tuæque clariffima familia non tam innæſcritus eſſe videtur, quam innatus penitus atque inſitus, nihil de Pontificia Majeſtate tuâ detrahit, imo vero ornat glorioſius. Proinde in Apoſtolice dignitatis au-

*Fortitatem & decus dum omni cogitatione cura-
 raque incumbis, urget interea animum tuum
 populorum amor & Patriæ charitas: cuius ino-
 piæ sublevandæ & publica vectigalia imminu-
 ta & alia plura commode opportunèque provi-
 sa vidimus. Ex quibus sane faustissimis regni
 auspiciis cur eam nobis reducem felicissimam
 ætatem non ominemur, quam plane beatam at-
 que auream suis temporibus Leo X. condidisse
 dicitur? Quod enim ille in omni vita sua,
 ut Paulus Jovius scribit, id præcipue spectave-
 rit, ut benefaciendo & promerendo ab omnibus
 hominum ordinibus amaretur, nemo est, qui te
 in ejusmodi beneficentiæ studio Leonis similli-
 mum esse non videat: cum erga omnes, qui
 de rebus tuis vel minimum meriti sunt, gra-
 tissimum animum beneficentissimumque probave-
 ris. In hoc tamen uno te Leonis omnino dissi-
 milem fore optamus, ut videlicet quam ille
 felicitatem e vivis immature præreptus brevem
 admodum & caducam fecit, eam Sanctitas tua
 ad populi Romani votum & ad commune Ec-
 clesiæ bonum diu incolumis nisi immortalem,
 at diutissime duraturam exhibeat.*

DE LAUDIBUS LEONIS X.

In anniversariis ejus parentalibus.

ORATIO IX.

Habita III. Idus Februarii, anno MDCCXXII.

CUM de Leone X. Pont. Max. præclarisque ejus laudibus in hac tanta literatorum hominum frequentia verba de more facere meditare, & dubius animo hærerem, quid eligi potissimum ad dicendum posset, quod & immortalis Viro dignum & a majestate hujus loci non alienum esse videretur; novæ quædam admirabilesque virtutum species cogitanti mihi occurrebant. Observabatur quippe ante oculos regia illa atque excelsa animi magnitudo, qua Leo X. in omni vitæ statu tanto se ceteris mortalibus superiorem exhibuit, quanto & nobilitate generis & dignitate fortunæ ceteros anteibat. Occurrebat quoque beneficentia illius & liberalitas pene incredibilis; qua factum est, ut ea tempestate auream ætatem postliminio ab ipso revocatam homines sibi gratularentur. Rapiebat animum summa ejus & quasi divina in adversis fortiter ferendis constantia; prudentia & sagacitas in agendis singularis, sapientia denique ab ineunte ætate tam eximia atque admiranda, ut in ipsa adolescentia ea virtutis & dignitatis præmia præoccupaverit, quæ alii vix extrema consequantur senectute. Ex qui-

bus sane tot tantisque virtutibus etsi nullam esse intelligebam, quæ argumenti magnitudinem quandam & novitatem non præferret; nihil tamen mihi tam novum inusitatumque visum fuit in omni Leonis X. vita, quam videre majestatem in eo una cum amore fuisse conjunctam. Hoc mihi profecto perquam rarum apparuit maximeque admirandum. Quandoquidem veterum poetarum judicio, tum etiam communi hominum sermone precebit: non bene convenire, neque in una sede morari posse amorem & majestatem. Sed ex hac ipsa rei novitate, unde brevissimæ orationis meæ argumentum erit, vos PP. amplissimi facile intelligetis, quid de virtute ac sapientia Leonis X. judicandum, cum ea, quæ quasi opposita difficillime junguntur, in se uno ipse feliciter perpetuoque copulaverit, amorem scilicet & majestatem.

Nescio quo fato fieri dicam, ut pleri que mortalium, quos avitæ nobilitatis splendor, aut honoris dignitas & amplitudo supra ceteros extulit, adeo statim supercilium attollant ceterosque fastidiant, ut ipsi non ex hominum numero, sed quasi e Deorum concilio delapsi esse videantur. Putant nimirum cum imperii majestate eas locum obtinere non posse virtutes, quæ quasi communes & populares habentur, humanitas scilicet, benignitas, sermonis facilitas, atque mansuetudo. Putant de dignitate sibi detrahi plurimum, nisi superbia & fastu a ceteris internoscantur. Ex qua profecto falsa hominum opinione natum fuisse arbitror pervulgatum illud proverbium, honores nempe in mores mutationem inducere. Lon-

ge tamen aliter Leo X. in omni vitæ suæ fortuna statuit. In tanta enim domesticæ gloriæ amplitudine, in tot summis maximisque honoribus constitutus nunquam se hominem esse oblitus, & nihil humani a se alienum esse putavit. Proinde quemadmodum natura in ejus ore atque oculis gravitatem quandam cum incredibili benignitate conjunxerat; ita virtus & præclara majorum exempla illius animum ad humanitatem sic informarunt, ut auctoritas cum gratia, amor cum majestate veluti inito foedere consociarentur. Nam præterquam quod in ea fuerat amplissima domo edacatus, unde superbia & audacia, ut Paulus Jovius scribit, penitus exclusis, veræ magnificentiæ, jucunditatis, elegantiae virtutumque omnium cunctis officina patebat; duo præterea sibi præ oculis erant domesticæ gloriæ lumina, magnus videlicet Cosmus & Laurentius pater, quorum alter ob præclara erga rempublicam merita Pater patriæ publici amoris decreto appellatus fuerat, alter ob singularem benevolentiam & charitatem non modo suorum civium, verum etiam totius Italiæ deliciæ atque amor æstimabatur. His ergo prælucentibus sibi majorum exemplis, non obscure intellexit Joannes Medices, principibus viris nihil esse gloriosius, quam dignitatis majestatem humanitate ac benevolentia temperare. Cum itaque in ipso ætatis flore ab Innocentio VIII. Cardinalis, deinde etiam paulo post Legatus totius Etruriæ renunciatus fuisset, in ea amplitudine dignitatis ita se gessit, ut incertum fecerit, plusne admirationis haberet ado-

lescentem videre tanta prudentiæ laude ornatum tantaque morum gravitate compositum, an vero cum ea, quam sustinebat, Ecclesiasticæ personæ auctoritate tantam ingenii suavitatem humanitatemque conjunctam. Permirum sane videbatur, homini adolescenti ad maximas imperii difficultates expediendas, & ad consilia cum de rebus privatis tum publicis capienda, parem inesse animi maturitatem atque prudentiam. Sed admirationem hujusmodi superabat, quod non tam Legati auctoritatem, quam optimi civis amorem erga omnes studiumque patefaceret. Quo plane miraculo factum est, ut per Etruriam universam ejus sapientiæ fama nomenque celebraretur; & non modo singulæ illius provinciæ civitates honores ei publice statuerent, sed ii quoque omnes, qui ex tanta Mediceorum gloria invidia dudum dirumpebantur, eximiam ejus virtutem admirari cœperint atque amare. Usque adeo singularem sibi conciliat gratiam virtus cum dignitate conjuncta.

At fortasse mirandum non est, quod cives invidios & inimicos humanitate ac benevolentia deliniret, cum efferatos quoque militum animos in sui amorem pertraxerit ac venerationem. Ardebat jam multos annos Æmilia prope universa bello teterrimo ac periculoso. Vastati ubique agri, succensæ domus, direptæ bonorum fortunæ; atque Urbes civilibus odiis magis quam bello confluentes partim a Romani Pontificis imperio defecerant, partim in exterarum gentium potestatem aut ultro se dederant, aut vi armisque re-

redactæ fuerant : omnia postremo armorum ter-
ror ac belli furor invaserat . Ut igitur tot tan-
tisque malis, quibus jam pridem divina atque hu-
mana omnia permiscebantur, Julius II. Roma-
nus Pontifex tempestive occurreret, ad arma ve-
niendum esse putavit, agendumque vi & gladio,
ubi religione contempta, neque paternæ reveren-
tiæ dignitas, neque Romanæ Sedis auctoritas va-
luisset . Comparato itaque instructissimo longe
omnium exercitu, Joannem Medicen Cardinalem
ad eam provinciam Legatum Apostolicum renun-
ciavit . Qua quidem ardua ac periculorum plena
legatione suscepta Joannes ita non modo fidem
suam, operam diligentiamque eidem Julio acris
sane ingenii ac judicii viro probavit, sed tantam
etiam apud omnes existimationem obtinuit, ut
milites ipsi Joannem Medicen non legatum ex
hac urbe missum, sed hominem quasi de cælo
delapsum intuerentur . Quoties enim prodiret in
publicum, quoties in conspectu exercitus staret,
tantus fieri solebat centurionum ac militum con-
cursus sacram purpuram manu tangere atque oscu-
lari cupientium, ut nimia pietate signa deserere, &
quasi dissolvi militares ordines viderentur . Unde
autem tam præclara atque insignis hominum opi-
nio ? Unde tam illustria religiosæ venerationis
officia ? Opinentur sane alii, tantam fuisse in ea
legatione Joannis sapientiam, tantum consilium,
pietatem ac religionem, ut non immerito omni-
um erga se studium excitaverit atque amorem .
Ego profecto non repugnabo ; cum proditum sit
memoriæ, pecuniam sæpe ad licentiam militum
coer-

coercendam eorumque explendam cupiditatem, illum summa liberalitate impertivisse; imo etiam aliquando sese vulneribus objectare non dubitasse, ut matronarum dignitati, aut virginum pudori consulere. Verum sic existimo, etsi nihil ceteris virtutibus detrahendum esse videtur, negari tamen non posse, quin beneficentia atque amore omnium sibi studia ac venerationem promeruerit. Auctoritas enim cum gratia, ut Stoicus inquit, homines non solum amabiles, sed venerabiles efficit. Quamobrem etsi imperatoria dignitas milites continet; ita tamen continet, ut imperatorem aut metuant, aut oderint. Imperii autem majestas cum beneficentia ad obsequium pariter atque amorem impellit.

Quid vero diutius obsequia militum demiramur, cum & hostis, qui natura tum etiam victoria insolens ac superbus erat, Joannem Medicen imperio exercituque spoliatum summa religione colat ac mirandum in modum veneretur? Nam ingenti a nostris calamitate ad Ravennam accepta caesoque ex majori parte exercitu, cum Legatus ipse, qui in hostium potestatem venerat, Mediolanum captivus & quasi per triumphum ductus fuisset, nequaquam tamen animo concidit, nec dignitatis, qua praeditus erat, majestatem abjecit. At sereno placidoque vultu milites alloquutus, tam graviter sapienterque Romani Pontificis causam egit, ut Pisani Concilii improbitate damnata, totus ille in Jullii Pontificis odium concitatus exercitus errorem agnosceret suum, ac supplex veniam deprecaretur. O singularem homi-

minis virtutem! O sapientiam admirabilem atque omni laude, prædicatione, literis monumentisque decorandam! Desinant veterum annalium historiæ summis laudibus ad cælum extollere Scipiones Africanos, Julios Cæsares, Cn: Pompejos aliosque clarissimos Imperatores, quod clementia & inusitata quadam imperii dignitate, non suis tantum, sed hostibus etiam divini quodammodo ac venerabiles essent. Illi siquidem victores gentium, expugnatis urbibus ac provinciis igne ferroque subactis, vi & armis suam & Pop. Rom. majestatem vindicabant. Quod vero Joannes non imperio munitus, non exercitu instructus, non victor, sed victus, sed captivus Apostolicæ dignitatis auctoritatem propugnaverit, quod armatæ multitudinis animos non armorum terrore ac minis, sed benignitate atque humanitate devicerit & ad Romani Pontificis voluntatem deduxerit, quis pari eloquentia explicare poterit? quis unquam satis pro dignitate laudare?

At majora nobis occurrent amoris & majestatis argumenta, si Joannem ipsum ad Vaticanum fastigium jam evedum & magnanimo Leonis nomine decoratum contemplemur. Quid enim magnificentissimus ille apparatus atque ea solennis pompa, qua Pontifex salutatus ad Basilicam Lateranensem primo perrexit; tanto videlicet Purpuratorum Patrum splendore, tot clarissimorum Principum comitatu ac tam incredibili hominum concursu, ut a Gothicis temporibus Romæ nec illustrius, nec magnificentius spectaculum visum fuisse Paulus Jovius testetur? Hoc autem totum
etfi

etsi ad illius majestatem referri debet, amoris tamen singularis argumentum certe fuit sparsa a Quæstoribus per omnes Urbis regiones aurea & argentea pecunia tam liberaliter effuseque, ut centum millibus aureis eam liberalitatem Pontifici stetisse Quæstores ipsi faterentur. Quid præterea veteres paternæ domus inimici omnes statim in gratiam perhumaniter recepti, quorum alii e longinquis regionibus, ubi misere degebant, benigne evocati sunt & re familiari atque honoribus aucti; alii e vinculis, quibus detinebantur, soluti ac libertati patriæque cumulatissime restituti? Intelligebat enim Pontifex sapientissimus, nihil esse tam regiū, ut M. Tullius inquit, tam liberale tamque munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare affictos, dare salutem, liberare periculis homines. Intelligebat, nihil esse laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementia.

Dum autem mente mecum ipse reputo, quæ Leo X. in absolvendo Lateranensi Concilio, quod jam pridem Julius Pontifex inchoaverat, opportune sapientissimeque constituit; dubius plane hæreo, majoremne in eo sibi partem vindicaverit amor, an vero majestas: imo ut verum fatear, magnum & acre video dissidium inter amorem & majestatem, utri videlicet gloriæ tribuendus sit principatus. Nam etsi frænata sanctissimis legibus nefariorum hominum audacia, spoliati jure imperii principes perduelles, sancita plurima cum potentissimis regibus foedera, instructæ ingentes classes, repressi conatus atque arma Selymi 'cru-

de-

deliffimi Turcarum Imperatoris & sexcenta alia graviter providentiffimeque conffituta incredibilem Leoni X. conciliaverint majestatem : cum tamen nemini dubium fit, quin ille hæc omnia cogitaverit atque perfeerit ob summum Christianæ religionis propugnandæ amplificandæque studium, quo nimirum vehementiffime incensus nuncios & epistolas mifit tum ad Abiffinorum regem, tum ad magnum Moschorum ducem, tum etiam ad alias plurimas remotiffimas Asiæ gentes, ut deterfa, fi fieri poffet, errorum labe, in Ecclefia Romanæ finum reciperet univerfas ; quis facile dijudicare poffit amorine, an majestati magis fit tribuendum ? Quod autem ad tollendas e Christiana republica turbas, iis omnibus veniam indulgeat, qui turbulentiffimis factionibus Julium II. diu oftinateque vexaverant ; quodque Carvajalem & Sanfeverinum perduellionis reos ab ipfo Julio Pontifice Purpuræ dignitate & facerdotiis omnibus expoliatos fuma clementia paternoque amore complectatur & ad omnem priftinæ dignitatis splendorem reftituat : in hoc fane dedit præclarum amoris fui testimonium. At enim ex ampliffimo fenatu nescio quem majestatis reum plane convictum more majorum a Leone X. fuiffe mulctatum testantur hiftoriæ . Ita profecto : at vero vindicis majestatis pœnas amor quidem excepit . Quandoquidem in ipfo capitalis fententiæ die unum atque triginta Cardinales, viros ex omni prope natione virtute, doctrina nobilitateque clariffimos fuma & inufitata liberalitate cooptavit . Quo quidem tam amplo atque illustri fena-

rorum delectu non modo populo Romano, sed omnibus fere gentibus singularem suum probavit amorem ac voluntatem beneficentissimam.

Verum populo Romano beneficentia hujusmodi communis quidem cum ceteris gentibus intercesserit. Quis autem dicendo complecti valeat, quibus maximis eundem beneficiis cumulaverit ejusque nomen ad sempiternam posterorum memoriam illustraverit? Mitto publica vectigalia imminuta, prætereo Triumviralem Conservatorum Urbis potestatem amplificatam, nihil loquor Romanos cives cum præmiis, tum immunitatibus privatim publiceque donatos & alia plurima, in quibus plane amor cum majestate triumphare visus est. Quantum vero splendoris atque amplitudinis hanc Urbem consequutam fuisse putabimus, tot viris ingenio, doctrina sapientiaque clarissimis ab eo Romam, magnis propositis præmiis, evocatis; ex quorum domicilio Roma ipsa, ut olim de Athenis fama est, disciplinarum omniumATRIX & mater facta esse videbatur? Negari profecto non potest, quin ex florentissimis hisce ingeniis aurea illa literarum ætas, quæ Augusti ævo floruisse dicitur, Leonis beneficentia in hac ipsa Urbe restituta populum Romanum ad veteris gloriæ possessionem, unde a Gothicis usque temporibus turpiter dejectus fuerat, amplissime irevocaverit. Quamobrem mirandum non est quod idem Romanus populus solenni ordinum omnium decreto statuat marmoream optimo liberelissimoque Pontifici in Capitolio dedicaverit, ut gratissimi animi sui studium & immortales

les gratias publici amcris monumento profiteretur.

Jam vero temporis angustia eo me ductum video, ut vela colligere necesse sit & quasi in medio orationem abrumpere. Unum tamen, de quo & parentalia hæc sacra & amplissimi hujus loci parietes me quodammodo admonere videntur, præteriri nullo modo potest; hoc ipsum scilicet Romanum Archigymnasium a sapientissimo Pontifice tam splendide, tam magnifice restitutum. Qua quidem in re quantum magnanimi Principis regia beneficentia effulgeat, cui tam rude, aut tam plumbeum ingenium, ut non agnoscat? Restitutis enim optimis disciplinis, nonne uberrimos in hac Urbe reclusit fontes, unde tum populus Romanus tum ceteræ gentes & ornamenta pacis & belli præsidia perpetuo sibi compararent? Quod autem illustrius paterni amoris indicium, quam singulari ejusmodi beneficio non præsentibus tantum prodesse, sed posteris, non uni civitati, sed terrarum Orbi prope universo? Quanta vero Pontificiæ majestati dignitas, quantus Romanæ Urbi splendor ex hac doctissimorum virorum palestra accesserit, quis dicendo paucis complecti valeat? Quot enim in omni ætate ex gravissimo isto magistratu, ex his subselliis, homines eximia virtute ac doctrina ornati ad sacras infulas, tum etiam ad Romanæ purpuræ dignitatem fuerunt evecti? Quamobrem etsi cetera omnia argumenta desint, hoc unum tam regium, tam munificum sapientissimi Pontificis opus longe quidem melius quam mea dicendi imbecillitas ad omnem posteritatis me-

memoriam prædicabit Leonem X. virum beneficentissimum, parentem Orbis amantissimum unoque verbo, Principem amoris plenum & majestatis.

DE INGENIORUM DELECTU
AD STUDIA LITERARUM
HABENDO.

ORATIO X.

Habita IV. Idus Novembris, anno MDCCXXIV.

Nemo vestrum ignorat quid valeat, quantumque vim habeat cum in homine, tum in ceteris animantibus disciplinæ ratio atque industria. Nam ut de equorum ingenio, qui in oculis nostris assidue versantur, nihil dicam, qui etsi primo furentes & effrænes nullius imperio regi posse videntur, ita tamen paulatim domitoris industria atque arte flectuntur, ut omni ferocitate posita, admirandam plane docilitatem induant; quid est, quod psittacos picasque docuit humanas voces expedite reddere, & quasi hominum more, ut Plinius inquit, fermocinari? Mens autem hominis per se rudis, & quemadmodum Aristoteles ait, quasi nuda pictorum tabula, si studium accesserit & disciplina, nonne ad id sapientiæ pervadit, ut nihil tam arduum sit, quo non pertingat, nihil tam sublime, quod assequi minime valeat? Quo quidem in genere
ut.

ut cetera, quæ ad literarum studia nequaquam pertinent, recordari omittatis; quid Platonēs & Archimedes ingenii principes ac doctrinæ, quid Homeros & Virgilios clarissima poetarum lumina, quid demum Hippocrates & Galenos medicorum signiferos eò dignitatis & gloriæ provexit, ut de illis sine laude dicere nemo possit, eosque homines quasi divinos & ad nos erudendos e cœlo missos omnis posteritas veneretur? Industria nempe fuit & diligentia, qua animi & ingenia mortalium mirum in modum excoluntur, & quæ a studio bonarum artium honestissimo sejungi ac dimoveri nullo modo potest. Hinc enim accepimus immensos eorum labores, diuturnas vigilias, permolestas peregrinationes, creberrima itinera & sexcenta alia doctrinæ causa incommoda vitæ suscepta: ut facile dijudicari non possit, utrum plus industriæ, an ingenio accepta referri debeat eorum tota quanta est sapientiæ ratio & amplitudo. Quanquam autem in labore & industria sita tanta vis est, ut nihil supra; undenam sit, ut in optimis artibus addiscendis haud raro summæ contentioni & complurium annorum industriæ nullus, aut certe exiguus doctrinæ fructus respondeat? Sentiant alii quod volunt. Ego quidem semper in ea sententia fui, nec ad literarum studia omnia ingenia apta esse, nec ad singulas disciplinas singula ingenia. Atque hinc fieri non dubito, perplures adolescentes in literarum cursu labore quidem maximo ac diuturno defatigari, at vix mediocrem aliquem pro ejusmodi conatu ac dili-

gentia progressum facere . Qua quidem in re quia multos esse intelligo , qui cum magno liberorum suorum incommodo , tum etiam summo rei literariæ damno misere hallucinantur , me operæ pretium facturum existimavi , si in hoc primo studiorum aditu ea in medium afferrem , quæ & falsam eorum opinionem convellerent , & ingeniorum delectum ad literarum studia maxime necessarium esse demonstrarent .

Quod autem sint semperque fuerint homines sic mente & ingenio destituti , ut ad optimarum artium studia inepti prorsus existant , nemini obscurum esse arbitror . Quemadmodum enim natura non omnibus agris fertilitatem est impertita , sed infœcundos sterilesque nonnullos deseruit , qui quocunque labore aut industria excolantur , frugem nullam afferunt : ita juvenum ingenia aliquando videas sic effœta atque arida , ut ab iis nullus doctrinæ fructus sit expectandus . Ejusmodi olim fuisse sive cœli atque aeris crassitie , sive alio quovis ejus regionis vitio Bœtii atque Thebani dicuntur , quos multum virium , ingenii minimum habuisse legimus . De Thracibus autem Aristoteles tradidit , eos ingenio tam pingui fuisse ac memoria propemodum nulla , ut ne quaternarium quidem numerando transcendere valerent . Ex hoc nimirum genere procreatos crediderim esse non paucos adolescentes , quorum cum ingeniis qui conflictatur , litus quidem arare , quod ajunt , aut Isthmum fodere suscepit . Hæc tamen calamitas non tam sæpe accideret , si bonarum artium professores aut mi-
se-

fericordia erga miseros istiusmodi juvenes com-
 moti, aut conscientiaë stimulis acti, Alabaden-
 sis Apollonii rhetoris præclaro satis exemplo
 ineptos hosce discipulos operam apud se perdere
 nequaquam paterentur, & ad quam unumquen-
 que artem idoneum judicant, ad eam serio co-
 hortarentur atque dimitterent. Sed valeant jam,
 valeant quotquot invita Minerva nati musas &
 Apollinem averfantur. Vos enim compellat o-
 ratio mea, Adolescentes optimi, præstantiori in-
 dole ac felici ingenio ornati, quos Isocrates
 Deorum immortalium filios appellare solebat,
 quippe qui intelligendi facilitate ac divino inge-
 nio parentes Deos referre videmini. Vos, in-
 quam, spectat quicquid de ingeniorum delectu
 instituendo dicam. Inter vos enim alios in ma-
 thematicis disciplinis, alios in physicis, alios in
 arte medica, alios in jure civili, partim in re
 poetica, partim in dicendi facultate præstantissi-
 mos fore non dubito; si unusquisque vestrum in
 id studendo sedulo incumbat, ad quod natura
 duce propendet, & ad quod prope factus esse
 videtur. Quemadmodum enim, ut poeta inquit,
 non omnis fert omnia tellus; ita sane non o-
 mnes, qui nostra vel majorum ætate claruerunt
 homines sapientissimi, omnem artem assequutos
 fuisse videmus, sed singulos in singulis præsti-
 tisse.

Verum ut inde orationi aditus pateat, unde
 potissimum omnis ratio ducenda esse videtur;
 primo quidem nobis diligenter est attendenda
 mira illa ingeniorum varietas, qua homo alter

alteri non minus est, quam vultu atque ore
dissimilis. In aliis enim intelligendi acumen &
sagacitatem incredibilem admiramur, qua facile
omnium oculos ad se convertunt oratione venu-
sta atque expedita, tum etiam salibus & jocos,
quos semper in promptu habent, quibus ipsi
sæpe majorem sibi opinionem, quam alii multo
studio ac diligentia creant. In aliis vero tardi-
tatem & quasi stuporem quendam mentis vide-
mus: qui sermone parci sunt ac statarii, ut
proinde illis oratio non tam fluere, quam stil-
lare videatur. Alii autem intelligendo minus a-
cuti, nihilominus memoria pollent firma & præ-
stantissima: alii contra ingeniosiores, sed o-
mnium maxime obliviosi: alii denique tum me-
moriarum vi, tum intelligentiarum acumine instructi,
utraque facultate mirum in modum excellunt.
Nolo hac in re Astrologorum deliramenta con-
fectari & varietatem ejusmodi ad nescio quas
Planetarum coitiones referre: nolo Philosophorum
sectas & opiniones excutere. Illud mihi nec ab-
surdum, nec a veritate alienum esse videtur, va-
rias hujusmodi ingeniorum formas e multiplici di-
versoque, quod unicuique inest, temperamento
proficisci: cum satis exploratum sit, non æqua-
lem semper in nobis percipiendi facultatem, quæ
a sensibus ortum habet, vigere; sed pro diversa
corporis temperie illam modo acrem & robustam,
modo fractam & imbecillam existere. Cum ita-
que tanta sit ingeniorum dissimilitudo, quanta
vix corporum esse solet; quis non videt dissimi-
lem inde singulorum virtutem fore, nec eundem
un-

unquam ab universis progressum esse sperandum ?
 Platonem legimus ingenia hominum cum metal-
 lis comparare fuisse solitum : quorum alia qui-
 dem aurea, alia ferrea, aut plumbea, partim stan-
 nea, partim argentea, partim denique e variis
 constata metallis esse dicebat . Quod plane in
 rem nostram quadrare satis apte videtur . Quan-
 doquidem ad divinas & sublimiores scientias, quæ
 aurea nimirum ingenia exigunt, is frustra incum-
 bit, cui ferreum, vel plumbeum, ut Platonis
 more dicam, ingenium habere contigit . Frustra
 subtiliora Geometriæ problemata, frustra recon-
 ditos naturæ aditus rimari tentant ii, quibus he-
 betior mens & tardi ad percipiendum motus .
 Reptare humi contenti sint, quibus natura volu-
 cre negavit ingenium, quo ad alta ferantur, ne
 Icarum audaciam imitari velle videantur . Quemad-
 modum autem non eadem est, ut paulo antedi-
 xi, in omnibus intelligendi facultas, sed varia
 admodum & multiformis ; ita quoque multiplex
 & diversa est natura scientiarum, quæ non omnes
 idem ingenii acumen, sed diversos intelligendi
 gradus virtutesque deprecant . Quædam enim, ut
 Algebra, ut Methaphysica, ut Theologia aliæque
 plures ad contemplandum naturæ singularem perci-
 piendi celeritatem & igneam vim mentis postu-
 lant . Quædam vero tarditatem magis quandam
 amant cum ingenii maturitate conjunctam, ut
 Medicina & Juris scientia . Aliæ per amplum vo-
 lunt, ubi spatiantur memoriæ campum, quemad-
 modum Historia, Geographia & omnia fere lin-
 guarum studia . Aliæ denique cum tenaci memo-

ria ingenium vividum & bene subactum, quales sunt dicendi facultas, ars Critica, & quæ de Theologicis dogmatibus agit divina scientia. Quocirca etsi per se difficile est rem amplissimam definire & certam unicuique disciplinæ mensuram ingenii tribuere; hoc tamen ex eo difficilius esse video, quod præoccupatam quisque habeat de ea, quam profitetur, scientia opinionem; ad quam ingenium longe omnium optimum deposci omnino sibi persuadeat, & alter alteri concedere haud quaquam velit. At vero negari non potest id, quod experientia fere quotidiana exploratum est atque perspectum, duos scilicet homines & ingenio & pari industria præstantes sæpe in una eademque facultate atque eodem magistro non æqualiter proficere: imo aliquando fieri, ut alter incredibiles in eo studii genere progressus faciat, in quo alter sic hæret atque implicatur, ut ab ejusmodi vadis emergere nullo modo possit. Quid ita? Nonne quod alter quanquam intelligendi vi multa præstet; eo tamen ingenii temperamento caret, quod ad ejus generis disciplinam est apte prime necessarium? Multos ego novi adolescentes, qui in elegantioribus literis & eloquentiæ studiis nullum egregiæ indolis specimen dederant, magno deinde ingenio in Dialectica, in Geometria, tum etiam in jure Civili instructos apparuisse.

Usurpari solet communi sermone, & quasi proverbii locum obtinuit: poetas quidem nasci eosque non tam arte ac studio, quam natura & divino quodam instinctu valere. Homines enim cum viderent aliquos ad pangendum carmen mira

ingenii facilitate duci, aliis vero per diuturnos labores ac vigiliis id minus licere; poetas cœlesti quadam vi ac divino spiritu afflari putarunt. Quocirca si quid fingere ac poetice ludere velint, non intercedo. Si vero quæ causa sit, ferio requirant; hoc pro certo habeant, ad poeticam facultatem ebullientem ingenii fervorem & ingentem mentis impetum postulari, quo homines quodammodo furere & cœstro quodam perciti esse videntur. Hoc autem qui carent, frustra musis & Apollini litare contendunt. Quamobrem ut Quintilianus animadvertit, optimus quisque poeta esse debet *ὀφθαλμοειδής*, is scilicet qui sibi & res & actus simillimos veri scite ac venuste confingere valeat. Quod quidem de poetis argumentum nemo non videt in ceteras quoque disciplinas satis commode cadere. Atque hinc M. Tullius ad informandum eum, quem ipse in libris de Oratore instituit, optimum dicendi magistrum, id maximæ curæ esse debere ac præ ceteris attendendum monet, ut primo ingeniorum delectus diligenter, accurateque habeatur. Præcipuum est, inquit, ut doctor animadvertat ingenium & naturam discipulorum. Quintilianus autem, de quo paulo ante, æstimandorum & ipse ingeniorum peritissimus, examen hujusmodi tanti quidem fecit, ut illud jam inde a pueritia omnino fieri jubeat. Tradito sibi puero, ait, docendi peritus ingenium ejus in primis naturamque perspiciat. Intelligebant quippe homines sapientissimi, naturæ non debere vim fieri, sed ad quod unumquodque natum est, eo esse adhibendum. Siquis enim a teneris, ut Græ-

ei dicunt, unguiculis pingendi artem non alio nisi natura duce imitetur; non est, cur in confectandis latinæ linguæ elegantiss, aut in Dialecticorum subtilitatibus extricandis ætatem atque operam frustra consumat. Ea ipse fervet phantasiæ vi, ut quotquot sibi ob oculos rerum imagines veniunt, totidem adumbrare coloribus & non inscite exprimere valeat. Erit profecto, erit in pingendi facultate dux & imperator: at vero in humanioribus literis, in Philosophiæ castris vix erit inter calones, aut gregarios milites recensendus. Neminem vestrum latet, quod de Andrea Vesalio, viro cum Medicinæ, tum Anatomix peritia clarissimo, memoriæ traditum legimus: qui adhuc puer quotquot mures, talpæ, glires, vel etiam canes atque feles sibi in manus venissent, totidem dissecare & in singulorum membranas, omenta ac intestina penitus introspicere solebat: eo videlicet illum natura ducente, ut ætate maturus Anatomix scientiam jam pene intermortuam in lucem restitueret. Exploranda est itaque, & quidem sedulo, antequam disciplinis instituta tradatur juvenus; ut in re tam ardua uniuscujusque quid ferant humeri, ut ajunt, quid ferre recusent, probe internoscatur. Jure quidem merito permirum Diogeni videbatur, homines, qui neque ollam, neque operculum emerent, nisi primo idem pulsu & tinnitu satis exploratum habuissent, at vero in homine emendo uno aspectu esse contentos. Quid vero de adolescente summæ spei atque egregiæ indolis, unde familiaris splendor omnis ac dignitas, in una vel altera di-

disciplina collocando? Nullumne fieri debet experimentum, nulla habenda naturæ ratio, nulla de ejus ingenio sollicitudo, perinde quasi mancipii alicujus emptio ageretur? Quid ergo miramur, juvenes navos & industrios in Academia tempus non minus quam ætatem terere; cum non sua, sed parentum voluntate iis studiis animum apulerint, a quibus maxime abhorrent? Istitis nimirum culpa parentum eorundem accidit, quod de Perianthro quodam medico Plutarchus memorat. Is enim cum medendi arte satis abunde præstaret, in eam dementiam venit, ut poeta fieri vehementer cuperet, & se se totum pangendis carminibus daret. Sed cum id musis adversis faceret, pro laude cacinnos & ludibria referebat. Quare Archidamus ejus necessarius ad sanandum tam mali poetæ furor, eundem graviter objurgans, quid, inquit, tibi accidit Periander, quod pro eleganti medico malus poeta vocari appetas? Non dissimili plane ratione plerique homines, qui oratores, aut philosophi, aut geometræ præstantissimi evaderent, quod ad ejusmodi disciplinas ingenium longe omnium aptissimum a natura acceperint; ab aliis, in quibus invita Minerva occupantur studiis, summam referunt pro dignitate ac laude vituperationem. Hoc autem quanto & professorum incommodo & optimarum artium damno fiat, paucis quidem explicari non potest.

At enim a Quintiliano, cujus doctrinam & auctoritatem prædicas, illud accepimus, neminem reperiri, qui nihil studio sit consequutus. Præterea quot extiterunt habeti tardoque ingenio viri,

ri, qui ad dicendi facultatem, vel ad Philosophiæ studia ineptissimi esse videbantur, qui nihilominus eam naturæ tarditatem sic pertinacilabore vicerunt, ut oratores elegantissimi, & non barba ac pallio tantum, sed moribus quoque & doctrina philosophi illustres evaserint; quemadmodum de Heraclide, de Cleante, de Xenocrate aliisque pluribus historiæ loquuntur? Itane vero? Si liberorum vestrorum voluntatem erga litterarum studia ita cognitam habetis eamque non minus quam in Cleante & Xenocrate perpetuam atque constantem; non repugno. Quamcunque ipsis fortuna dederit studiorum rationem, eam statim complectantur: utique laudem plurimam ex assiduo hujusmodi labore consequentur. Quod si in illis neque ingenij, neque industriæ par ratio fuerit; non est, cur aliquis sibi stulte blandiatur: nullum omnino fructum decerpent ex eo studiorum genere, in quo invito reluctantiq; animo detinentur. Quid si nec valetudine satis firma, nec ad diurnas vigilias gravissimosque labores perferendos satis apti? Huc accedit, austeram illam veterum disciplinam, qua ipsi ob incredibilem doctrinæ amorem ab omni prorsus voluptate, a ludis jocisque interdictum sibi esse volebant, ita jam in desuetudinem abiisse, ut quod aurei illius seculi virtus extitit, nunc fere vitium & rusticanæ vitæ genus esse videretur. Ego vero cum plerosque ætatis nostræ adolescentes intueor, cum eorum comas molliter fluentes & ipsos sibi uno digito scalpentes caput contemplor; vix animum inducere possum, ut eosdem

tam

tam gravi labori ferendo pares esse concipiam .
Minuatur igitur , quantum fieri potest , studio-
rum labor . Mollis & delicatulae nostrorum tem-
porum juventutis ratio habeatur , ut nimirum in
literis minimo sudore proficiat . Hoc autem tum
commode fiet , cum exploratis ingeniorum viri-
bus , ad eam unusquisque liberalem artem apta-
bitur , ad quam voluntate & suapte natura duci-
tur . Non erunt tunc sane juvenes ad scholas
tanquam ad pistrinum metu poenisque cogendi .
Amabunt ipsi quoque literas , & expedito satis
cursu doctrinae metam attingent .

Arithmeticam pueris , ut Laertius refert , obji-
ciebat Pythagoras , nihil opportunius esse ratus
ad aciem mentis examinandam exacta computan-
di ratione : quod videlicet ingenii difficultas ab
ipsa numerandi tarditate non ægre dignoscatur .
At Græci omnes , homines sapientes & peracuti ,
ingeniorum naturam & amplitudinem non alio
sane modulo nisi Geometriæ studio metiendam
esse existimabant : neque ad Philosophiæ arcana
quenquam recipiebant , cui non fuisset ingenium
geometricis rationibus bene excultum atque li-
matum . Utinam ejusmodi consuetudinem a Græ-
cis traditam majores nostri tenuissent eamque ad
nos fartam tectam deduxissent . Profecto aut ego
fallor , aut incredibile jam nunc habuisset rerum
naturalium scientia , tum etiam ceteræ disciplinae
incrementum . Verum aliæ quoque sunt ab aliis
sapienter excogitatae explorandorum ingeniorum
rationes , quas ego minime reprehendo : quippe
quæ si prudenter adhibeantur , suum robur suam-
que

que vim sint habituræ. At ne longius rem prosequendo patientia vestra abuti velle videar, orationis filum abrumpo; eaque plura, quæ de ipso ingeniorum delectu recte instituendo dici possent, sapientiæ judicioque vestro decernenda relinquo.

DE LAUDIBUS LEONIS X.

In anniversariis ejus parentalibus.

ORATIO XI.

Habita III. Kal. Martii, anno MDCCXXVI.

SI quis est, qui forte putet, hæc parentalium solennia, quæ Leoni X. Pont. Max. quotannis in hoc amplissimo loco & hac tanta celebritate fieri consueverunt, ad hanc unam Romanæ Sapientiæ sedem & ad vos tantummodo P. C. gratique animi vestri significationem pertinere, is certe fallitur atque in summa rerum ignoratione versatur. Illustris enim ac sempiterna tanti Pontificis recordatio non his solis parietum angustiis, non uno hujus loci ambitu continetur; sed ad totam, quantacunque est, Urbem Romam, ad Italiam universam, ad Germaniam & Galliam, imo ad omne genus hominum latissime pervagatur. Quis enim est hodie tam inaccessus, aut tam remotus in terris locus, quo sapientissimi hujus Principis fama, aut ejus regis beneficentiæ fructus aliquis non pervaserit?

Quæ

Quæ gens, quæ hominum natio, cui vel minima bonarum artium disciplina accesserit, quam celebratissimum Leonis X. nomen divinaque virtus admiratione non compleverit? Omnes profecto literæ, omnes Academiæ quotquot sunt celeberrimæ Leonem X. ad cœlum summis laudibus efferunt; eumque optimarum artium felicitati natum & communem literarum parentem omnes una mente atque uno ore conclamant. Quid igitur ego in hac mea mediocritate ingenii dicendique tenuitate potissimum afferre poterò, quod neque a summa laudatissimi viri amplitudine alienum esse, neque a dignitate ornatissimi hujus loci, cujus ipse instaurator fuit beneficentissimus, abhorreere videatur? Satis mihi erit verbis paucissimis indicare, quibus tandem solidis fundamentis hæ tantæ Leonis X. laudes ubique excitatæ fuerint ad omnem posteritatis memoriam stabiles firmæque permansuræ. Quod quidem me satis commode spero consequuturum, si ceteris quamplurimis & clarissimis ejus virtutibus hodierno die prætermittis, uno mihi argumento summam amorem illum ingentem ac prorsus incredibilem, quo Leo X. literas literatosque omnes avidissime prosequatur. Nam hinc facile erit intelligere, hoc uno nomine sapientissimum virum omnium gentium sibi studia promeruisse & omnium ætatum prædicationem. Atque hoc ipso jure Romana hæc nostra Academia quotannis eum publice laudare ac solenni ritu gratias agere consuevit.

Fuerant sane superiori ætate complures Ro-

mani Pontifices, homines sapientissimi, qui op-
 timarum artium studia promovere, tum etiam
 præmiis exornare operæ pretium duxerunt. E-
 jusmodi laudem assequutos fuisse Innocentium &
 Eugenium IV. Clementem & Nicolaum V. Pium
 II. aliosque plures ex annalium memoria accepi-
 mus. At vero, qui ardentiori studio, aut pro-
 pensiori voluntate erga ingenuas disciplinas cum
 Leone X. comparari possit, neminem fuisse con-
 tendo. Quod enim in summa reipublicæ tran-
 quillitate atque otio, cum opes integræ atque
 ærarium opulentum literarum studia tutelam ac
 patrocinium inveniant, non est valde mirandum,
 neque a veteri consuetudine alienum. Tunc e-
 quidem Romana respublica rhetores ac poetas a-
 liosque liberalium artium professores ad hanc
 Urbem invitavit benigneque complexa est, cum
 jam Punico secundo bello confecto, & Charta-
 gine illa Romani imperii æmula funditus eversa,
 in otio paululum respiravit. Ubi enim tubarum
 lituorumque clangor insonat atque omnia late
 armorum strepitu perturbantur, quis est, qui
 musarum cantu delectetur, ac de eruditione magis
 quam de capite, ac de salute civium sollicitus esse pos-
 sit? Jacet tunc omne studium, ut inquit Tul-
 lius, & in pretio est horridus miles, non valde
 bonus ac disertus orator. Quæ cum ita se ha-
 beant, quis mirari satis possit, Leonem X. vix
 Pontificio diademate coronatum statim de opti-
 mis studiis in hac Urbe restituendis potissimum
 cogitasse & nihil antiquius habuisse, quam hanc
 Romanam Academiam in summum splendorem

atque amplitudinem excitare? Nemo vestrum ignorat, quibus ille temporibus turbulentissimis Vaticanam sedem conscenderit. Longum esset ac permolestum hoc loco singulas & miserrimas ejus temporis calamitates recordari. Prætereo itaque Italiam tunc fere omnem diurni ac periculosi belli incendio conflagramentem. Non loquor urbes atque oppida hostium cade, aut civium sanguine redundantia. Taceo vastitatem in agris, in templis solitudinem; ac florentissimas civitates ex assiduis Germanorum, Hispanorum Gallorumque incursionibus diutissime vexatas atque direptas. Satis sit ad memoriam vobis id unum revocare, Pontificium exercitum superiore anno ad Ravennam cæsum fuisse atque deletum. Licet enim Julius II Romanus Pontifex nihil impensius quam publicæ totius Italiæ tranquillitati studeret, non tamen illi defuit ad suscipienda plurima ac periculosa bella militaris animi virtus & nimia quædam gloriæ cupiditas. Hinc ærarium inops atque exhaustum: hinc vectigalis pecunia ad stipendia militum aliosque belli usus impensa atque distracta. Quanquam igitur Leo. X. tam alieno reipublicæ tempore Romanus Pontifex renunciaretur, illico tamen bonarum artium studiis, quæ ubique foeda situ ac squalore jacebant, erigendis animum manumque præbuit: neque Pontificii ærarii calamitas atque inopia, neque bellorum per Italiam nondum sedati tumultus, neque gravissima alia, quibus initia principatus urgeri maxime solent, negotia retardarunt. Sed accersitis Romam profundioris literaturæ viris, amplissimum hoc Gymnasium,

fium, hoc musarum domicilium, hanc sempiternam bonarum artium sedem instauravit; atque ita instauravit, ut quemadmodum eorum temporum annales loquuntur, Romanum Gymnasium neque Bononiensi, neque Patavino vel doctorum præstantia, vel auditorum concursu concederet.

Ex quibus sane faustissimis regni auspiciis quis non videt sapientissimi Principis voluntatem erga optimas disciplinas & contestatam jam præclare satis erga literarum studia ingentis amoris sui significationem? Instabat Lateranense concilium, quod Julius II. jam inchoaverat, mature prosequendum perficiendumque. Urgebant Pontificis animum Carvajalis & Sanseverini cum Romana Ecclesia simultates inveteratæ atque odium, quod illos tanquam publicos hostes ipsemet Julius purpuræ dignitate ac bonis omnibus expoliaverat. Imminabat Italiæ cervicibus cum ingenti exercitu rex Gallorum Ludovicus XII. Neapolim ac Mediolanum, unde turpissime pulsus fuerat, repetendi desiderio ac furore inflammatus. At Leo quanquam nihil eorum, quæ ad Ecclesiæ dignitatem, vel ad Italiæ salutem pertinere videbantur, negligeret; ut proinde & Lateranense concilium summa animorum consensione plausuque confecerit, & foedus a Julio II. sancitum pro Italiæ libertate providentissime instauraverit, & Sfortianis militibus opem suam implorantibus viginti quinque millia aureorum per Hieronymum Moronum legatum statim persolverit; nihilo tamen unquam remissius egit in optimis studiis promovendis amplissimeque exornandis. Nam præter ea clarissima
inge-

ingenii lumina, Augustinum Suesanum, Christoforum Aretinum, Hieronymum Buttigellam, Parthasium Consentinum, Basilium Calchondylem aliosque doctissimos viros, quos ad hujus Academiae famam longius proferendam, magnis propositis praemiis, ad Urbem invitaverat: praeter duos illos summæ eruditionis ac doctrinae principes, Bembum & Sadoletum, quos ab epistolis sibi esse voluit, nemo unus fuit alicujus ingenii colore tinctus, quem ipse quasi publicus literarum parens peramanter non exciperet & ad meliora de se sperandum non inflammaret. Audite quæso luculentissimum Pauli Jovii testimonium ad sempiternam tanti Pontificis laudationem memoriae posterorum demandatum. Singulos, inquit, exquisitis nobilioribus artibus instructos, vel mediocris etiam nominis poetas tanta benignitate suscipiebat, ut omnes jam excitatis animis ad excolenda literarum studia vehementer accenderentur: cum a tanto armorum strepitu, quo neglectis literis, Julii Pontificis aures magnopere gaudebant, tandem virtuti locus patefactus esse videretur. O laudem singularem! O prædicationem principibus viris & regibus plane invidendam! Intelligebat equidem vir summa sapientia præditus, Christianæ reipublicæ maxime interesse egregios & exquisito ingenio viros ubique locorum haberi, qui tam Latinorum quam Græcorum Patrum monumenta probe perciperent, & venerabilem divinarum literarum auctoritatem qua scriptis, qua voce defenderent. Quamobrem etsi regiae liberalitatis ac munificentiae splendore ceteros ejus ætatis princi-

pes unus longe omnes multumque superabat, utpote qui in ea domo fuerat splendide ac liberaliter educatus, cujus amplissimum patrimonium beneficentia semper fuit & gloria: ubi tamen de optimis studiis augendis consilium erat, non modo ceteros, at seipsum quoque liberalitate vincere videbatur. Nullus enim erat magistratus, nulla dignitas, nullum sacerdotium tam opulentum, quod literarum cultoribus libentissime non indulgeret. Ut proinde quemadmodum de Artaxerxe illo Persarum rege clarissimo, cui ob manum dexteram sinistra longiorem Longimani cognomen fuit, Plutarchus refert, eum gloriari solere, sibi tanquam optimo Principi naturam tribuisse, ut alteram manum haberet ad largiendum amplissimam atque longissimam, alteram vero ad accipiendum brevioram & contractam; ita quoque Leo X. merito gloriari posset, se amplio- rem, quam ceteri principes, animum divinitus accepisse, ut erga homines literatos incredibilem suam beneficentiam expleret. Quam vero diligens, quam sedula, imo quam ingeniosa fuerit ejusmodi liberalitas, quis oratione complecti valeat? Non intra Urbis muros, vel intra angustos Italiae fines sese continuit, sed remotissimas quoque Europae regiones praetervecta est ad novas & inusitatas exquirendas rationes, quibus tam literae quam literati omnes promoverentur. Nihil artificiose, nihil amplificandi studio dicimus, cum singula per se satis admiranda esse videantur. Quis enim non stupeat, a Leone X. Missum fuisse ad inclytas nationes Germaniae, Daniae, Suetiae, Norvegiae,

giæ , & Gothiæ Joannem Heytmers de Zon-
 verbem Apostolicæ Sedis nuncium , ut veteres
 libros , qui temporum injuria periissent , dili-
 genter accurateque perquireret ? Eo vero præ-
 cipue consilio , ut literato cuique latissimus
 excolendi ingenii campus pateret . Extat Leo-
 nis ipsius epistola ad Albertum Archiepiscopum
 Moguntinum Principem Electorem & Germaniæ
 Primate[m] , in qua de comparandis ejusmodi vo-
 luminibus rationem causamque satis luculenter
 exponit . In hac re , inquit , nec sumptui , nec
 impensæ alicui parcimus solum , ut , sicut usque
 a nostri Pontificatus initio proposuimus , quod
 Altissimo tantum sit honor & gloria , viros quo-
 vis virtutum genere insignitos , præsertim litera-
 tos , quantum cum Deo possumus , foveamus , ex-
 tollamus ac juvemus , Quid est , Auditores , quod
 studiosissimus ingeniorum fautor ad laudem illu-
 strius excogitare possit ? Haud satis illi fuit in
 doctis hominibus exornandis majorum vestigiis in-
 sistere Voluit quoque inusitata quadam ratione de
 illis longe omnium optime mereri ; atque ipsis
 cum ad ingenii famam extendendam , tum ad
 opes sibi comparandas munire iter novum & ex-
 peditum . Ob quam sane præclaram liberalitatem
 Petrus Cælius , Romanorum Pontificum censor
 iniquus & obrectator maledicentissimus , sibi ta-
 men temperare non potuit , quin posterorum me-
 moriæ scriptum relinqueret , neminem esse litera-
 torum ex quocunque genere , aut religione ille
 sit , qui Leonis X. nomen colere & ad cælum ex-
 tollere non debeat , quod obsoleta , aut perditæ

veterum scriptorum monumenta studiose conquiri ac typis elegantissimis evulgari curaverit. Et vero neminem vestrum latet, Leonis munificentia deberi Cornelii Taciti Annalium libros quinque primos deperditos jam & omnium opinione desperatos, at revera in obscuro Germaniæ angulo latentes, quos ipse Leo e barbarorum manibus, ut Andreas Alciatus inquit, quingentorum aureorum summa redemit, ac Romæ primo typis edidit: unde immortalis sibi laudem peperit, quod historicum præstantissimum quasi ab inferis excitatum nova luce ac vita in hac Urbe donasset.

Ex hac autem tanta Leonis X. erga literas beneficentia factum est, ut per eadem fere tempora non modo in Italia viri principes, Sabaudi, Estenses, Cararienses & Vicecomites de eruditissimis hominibus complectendis mutuo inter se studio decertarent; verum etiam in Germania Maximilianus Cæsar, in Gallia rex Franciscus I. ad honestissima studia postliminio revocanda ac melioris fortunæ spe erigenda quasi uno eodemque tempore excitarentur. Ille enim Viennensem Academiam nunc quoque florentissimam erexit: hic Parisiensem a Carolo Magno præclarissime fundatam, sed jam vetustate collapsam, regia liberalitate restituit. Uterque vero literas plurimi deinde facere ac literarum studiosos, Leone ipso hortatore & duce, præmiis amplissimis cumulare sibi gloriæ duxit. Ut propterea si verum fateri velimus, incrementa illa scientiarum, quæ consequentis inde usque ad hæc nostra tempora at-

tibus in Italia, in Galliis, in Germania aliisque nobilissimis regnis habita sunt maxima & admiranda, uni Leoni X. accepta referri potissimum debeant, qui barbarorum castra perfregit & scientiarum affectis signum sustulit libertatis & gloriæ. Ipse enim fuit, qui clarissimis regibus documenta illustria dedit, quo tandem loco habenda sint doctrinæ studia, quæ id temporis ubique neglecta erant ac prope deposita. Ipse fuit, qui bibliothecam Vaticanam conquestis per omnem Europam & ab Oriente usque exportatis voluminibus amplificavit, quam etiam publicæ utilitati patere voluit. Ipsæ Græcorum literis & disciplinis e patria sede miserrime deturbatis in hac Urbe omnium principe domicilium præbuit honestissimum: cum propterea Joannem Lascarem Bizantinum, hominem in primis nobilem & eruditum cum aliis multis Græcorum doctissimis Romam ab omni Græcia summa liberalitate advocasset. Dies me profecto deficeret, si dicendo numerare singula vellem, quæ Leo X. ad rem literariam augendam atque omni dignitate honestandam usque ad extremum spiritum constantissime gessit. At vero quicquid hætenus dixi ut ad unam summam referam, illud meo iudicio est omnium admiratione dignissimum, quod homo valetudine non satis prospera, frequentissimis suorum calamitatibus, tum etiam sæpe acerbo eorundem funere exulceratus, iniquissimis amicorum conjurationibus in vitæ pericula non semel adductus, ad multa & gravissima bella, tum ad tuendam Italiæ libertatem, tum ad exultantem Selymi Tur-

carum Imperatoris furorem reprimendum compul-
 sus; acerbissimis præterea curis affectus ex pernicio-
 sis opinionibus a Lutero in Apostolicæ Sedis
 majestatem ac veterem religionem in Germania
 late diffeminatis, homo denique in ea rerum am-
 plitudine atque imperio collocatus, ut maximis
 semper occupationibus eum detineri necesse esset;
 nunquam tamen literarum patrocinia intermiserit,
 nunquam vel minimum in iis ornandis industria
 aut voluntate defuerit perinde ac semper in sum-
 mo otio ac vitæ tranquillitate vixisset. O incre-
 dibilem & inauditum literarum amorem! O vi-
 rum sapientissimum omnium gentium vocibus,
 literis & prædicatione celebrandum! Quinam pro-
 gressus scientiarum, aut quantus gloriæ cumulus
 liberalibus artibus accessisset, si eum diutius vi-
 vere, aut tranquilliori cælo imperii clavum te-
 nere contigisset? At vero exiguum illud vivendi
 spatium a natura Leoni datum, & difficillima
 Christianæ reipublicæ, quibus ipse regnavit, tem-
 pora nonne luculentiora sunt argumenta ejus sum-
 mi studii erga optimas disciplinas & benefici-
 ssimæ voluntatis? Utinam Deus BENEDI-
 CTUM XIII. Pont. Max. diu nobis incolumen
 servet; ut quemadmodum sanctissimus senex regia
 liberalitate ceterisque virtutibus Romanorum Pon-
 tificum nemini concedit, ita quoque ad literarum
 studia promovenda atque ornanda animum referat,
 ingenitamque sibi beneficentiam erga doctos
 & eruditos largiori manu convertat. Sic enim fiet,
 ut triste illud & acerbissimum desiderium sui,
 quod Leo X. moriens apud omnem literatorum

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

A Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitore Generale del Santo Ufficio di Venezia nel Libro intitolato: *P. Paulini a S. Josepho Orationes habitae in Archigymnasio Romane Sapien-tiae*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che possi essere stampato, offer-vando gli ordini in materia di Stampe, e presen-tando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 13. Agosto 1763.

(*Sebastian Zustinian Rif.*

(

(*Alvise Vallareffo Rif.*



Registrato in Libro a Carte 178. al N. 979.

Davidde Marchesini Seg.